UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# R.D. Iacobi Marchantii Vitis Florigera

**Marchantius, Jacobus**

**Coloniae Agrippinae, 1661**

Opusculum IV. Cupressus funebris: pro Defunctis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-56381

Visual Library

# OPVSCVLVM IV.
# CUPRESSUS FUNEBRIS
## PRO DEFVNCTIS.

LECT. 1.

*Ecce manus miſſa ad me, in qua involutus erat liber, & ſcriptæ erant in eo Lamentationes, & Carmen, & Væ.* Ezech. 2. & 3.

*Explicatio huius libri myſtici. Ezech. 2. Ezech. 3.*

MVltis refertur eſt myſteriis liber ille, de quo Propheta ait: *Et vidi, & ecce manus miſſa ad me, in qua erat involutus liber: & expandit illum coram me, qui erat ſcriptus intus & foris: & ſcriptæ erant in eo lamentationes, & carmen, & væ.* Iuſſus eſt autem Propheta hunc librum comedere, & viſcera ſua illo paſcere. Multa de hoc libro dixerunt ſacri Interpretes.

*Liber hic primo eſt S. Script.*

Inprimis S. Gregorius hom. 9. in Ezech. dicit hunc librum eſſe ſacram Scripturam. Eſt enim *liber ſcriptus intus* per allegoriam & myſticos ſenſus, *foris* per hiſtoriam: *intus*, quia inviſibilia promittit, *foris*, quia viſibilia præceptorum ſuorum rectitudine diſponit: *intus*, quia cœleſtia pollicetur, *foris*, quia terrena qualiter ſint contemptibilia, vel in uſu habenda, oſtendit. *Involutus eſt*, ut ipſa obſcuritas occaſio ſit plurium ſenſuum, & occaſionem det ſtudii & meditationis ad illum evolvendum, & mentem ad divina elevandum.

*2. Liber hic eſt ipſa prophetia Ezechielis.*

Secundo nonnulli interpretantur hunc librum eſſe ipſam Prophetiam Ezechielis, quæ continebat *lamentationes, & carmen, & væ.* Continebat enim planctus ſuper peccatores; continebat & lætitiæ carmen pro juſtis, & væ, ſive maledictionem pro deſperatis. Audi Ambroſium lib. 2. de Pœniten. cap. 6. *Ezechiel iuſſus eſt flere Ieruſalem & accepit librum, in cuius capite ſcripta erat lamentatio & melos, & væ; duo triſtia, & unum delectabile: quoniam ille ſalvus erit in futuro, qui in hoc ſæculo plus fleverit.* Hæc Ambroſius. Cui conforme eſt illud S. Irenæi epiſt. 46. *In Scripturis pœnitens plangitur, juſtus canitur, deſperans maledicitur.*

*3. Hic liber eſt arcanum conſiliorum Dei.*

Tertio, dicere poſſumus hunc librum involutum ſignificare arcanum conſiliorum & decretorum Dei. Hic ſcriptus eſt intus & foris, quia infinita Dei conſilia in eo ſunt ſcripta. Et involutus eſt, quia in Dei mente reconditus, & nobis ignotus, niſi quandoque per effectus nobis de illo quidpiam aperiat: qui quidem effectus ſæpe nos in admirationem rapiunt, quia iudicia Dei eſſe admirabilia videmus circa multos, cum in vita tum in morte.

*Tres libri huius partes triplicem animarum ſtatum poſt hanc vitam denotant.*

Sed accommodate ad noſtrum propoſitum dixero, hunc librum, tresque eius partes, tres deſignare ſtatus animarum poſt hanc vitam, in Cœlo, in Purgatorio, in Inferno.

*1. Carmen pro ſtatu Beatorum continet. S. Greg. hom. 9. in Ezech.*

Atque, ut à Cœlo inchoëmus, pro Beatorum deſignando ſtatu, ſcriptum eſt in illo libro carmen, ſive melos, hoc eſt, vita læta Beatis promiſſa ibi denunciatur: quod quidem ponitur hic inter lamenta & væ, quia, ut dicit Sanct. Gregorius: *Per lamenta pœnitentiæ fit ut perveniamus ad carmen vitæ; quod ſi pœnitendo affligi nolumus, fit ut væ poſtmodum ſine fine ſentiamus.* Vlterius advertit Origenes, Carmen concernens gloriam Sanctis promiſſam, & vitam Beatorum, ſcriptum eſſe intus, ſive in anteriori parte libri foris autem, ſive retro ſcriptum eſſe lamentum peccatores pœnitentes concernens, & poſtmodum ibi retrorſum ſequi Væ, peccatores ſpectans deſperantes, vel obſtinatos.

Quid ergo aliud Carmen huius libri indicat, niſi hymnum & canticum perpetuum lætitię, quod concinunt Beati, de quibus legimus: *Te decet hymnus Deus in Sion, &c.* Et: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te?* An non & ibi carmen perpetuum ab Angelis pronunciatum: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth?* An non ibi perenne *Alleluia?* Ideo & ibi Templum aſſeritur, quia laus illic perennis reſonat, cuius typum repræſentant Templa noſtra. Nota in Apocalypſi laus & gratiarum actio, quam ſeniores & animalia & Angelorum reddunt millia, coram throno Agni; ubi & ad pedes Agni coronas mittunt, Seniores, & applaudunt omnes creaturæ. Notum eſt & canticum novum, quod concinunt ſequentes Agnum. Ibi igitur adimplebitur illud perfectiſſime: *Immiſit in os meum canticum novum, carmen Deo noſtro.*

*Pſal. 64. Pſal. 83. Iſai. 6. Apoc. 5. Apoc. 14. Pſal. 39.*

*2. Væ ſtatum damnatorum denotat.*

Altera pars libri continet Væ, ſive maledictionem, & deſignat ſtatum animarum in Inferno. Quia ibi eſt continua vox deſperationis & blaſphemiæ; perſonans contra cœlum & terram infeliciſſimè, contra Deum & Chriſtum horribiliſſimè contra Angelos & electos cum invidia & livore. Immo ibi perſonat maledictio contra parentes & amicos, contra peccati ſocios, & contra ſeipſos maxime; quod in hanc infeliciſſimam ſortem ſua inciderint culpa, quam facile poterant evitare. Ibi ergo æternum Væ, & nihil niſi Væ, quia illud

ſemper

ſemper renovabit conſideratio æternitatis pœnæ, quæ illos affliget, & configet, quamdiu cœlum erit cœlum, quamdiu terra erit terra, quamdiu Angelus erit Angelus, quamdiu Deus erit Deus, hoc eſt, in ſæcula ſæculorum; ſine ulla imminutione, etiam poſt myriades myriadum annorum. Et hoc Væ æternum, vox deſperationis & blaſphemiæ contra

*Apoc. 14.* Deum & creaturas, recte dicitur eſſe *Fumus tormentorum eorum, qui aſcendit in ſæcula ſæculorum.* An non tibi videtur Iob eorum infœlix & luctuoſum Væ adumbrare, ac ipſos repræſentare, dum

*Iob. 3.* dicit: *Pereat dies, in qua natus ſum; & nox, in qua dictum eſt: Conceptus eſt homo. Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus deſuper, nec illuſtretur lumine. Obſcurent eum tenebræ & umbra mortis, occupet eum caligo, & involvatur amaritudine. Noctem ille tenebroſus turbo poſſideat, nec computetur in diebus anni, nec numeretur in menſibus, &c. Quia non concluſit oſtia ventris qui portavit me, nec abſtulit mala ab oculis meis.* Quare non in *vulva mortuus ſum? egreſſus ex utero non ſtatim perii? Quare exceptus genibus? Cur lactatus uberibus?* Hæc erit muſica, hoc canticum, hæ matutinæ, hæ laudes, hæ parvæ & magnæ horæ, hæ Veſperæ reproborum in inferno, ſine Completorio: ſicut & electorum in cœlo & gloria perenne erit *Alleluia.* Quapropter monebat Sanct. Gregorius hom. 9. in Ezechielem. *Quid igitur, fratres, quid agendum eſt nobis miſeris, niſi ut evigilemus ad verba huius voluminis, & mala quæ nos egiſſe meminimus, fletibus puniamus, ut per lamenta pœnitentiæ perveniamus ad carmen vitæ? Ne ſi affligi modo pœnitendo nolumus, Væ poſtmodum ſine fine ſentiamus.* Hæc ille.

*3 Lamentationes, ſtatum animarum in Purgatorio*

Tertia pars libri continet Lamentationes, quæ licet recte accipiantur, ut ſignificent dolores & lamenta pœnitentium in hoc ſæculo, ut evadant æternum Væ & pertingant ad Carmen vitæ, ut jam diximus ex S. Gregorio, & adſtipulatur S. Ambroſius & Hieronymus: attamen etiam accommode hanc partem libri continentem lamentationes dixeris ſignificare ſtatum animarum in Purgatorio. Hæ etenim ob pœnas acerbas non ſunt ſine lamentis & ſuſpiriis continuis, donec educantur de loco carceris & purgatoriis flammis, ad confitendum nomini Domini, & decantandum Carmen vitæ cum Beatis.

*Hæ animæ lamenta ſua primò convertunt ad Deum. Pſal. 29.*

Quapropter voces ſuas lamentabiles primo convertunt ad Deum, ut inveniant miſericordiam & refrigerium: *De profundis clamavi ad te Domine* (de abyſſis terræ & pelago pœnarum) *exaudi vocem meam. Si iniquitates obſervaveris, quis ſuſtinebit? Apud te propitiatio eſt.* Sunt inſtar Ionæ de ventre piſces & profunditate maris ad Deum clamantis; ita ut & eis illa ipſius conveniat tandem oratio:

*Ionæ 2.* *Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, & exaudivit me: de ventre inferi clamavi, & exaudiſti vocem meam. Et proieciſti me in profundum in corde maris, & flumen circumdedit me: omnes gurgites tui & fluctus tui ſuper me tranſierunt. Et ego dixi, abiectus ſum à conſpectu oculorum tuorum: veruntamen rurſus videbo templum ſanctum tuum.* Sicut ergo tandem piſcis evomuit Ionam in aridam, ita & evomit venter inferi has animas in terram viventium, Deo ita decernente & miſerante.

*2. Ad ſuos quondam Angelos tutelares.*

Secundo, ad Angelos ſuas convertunt lamentationes, ut ab his à quibus toto vitæ decurſu beneficia & favores, directionemque ſpecialem hauſerunt, nunc etiam conſolationem accipiant, & auxilium ad egrediendum pœnali ex hoc ergaſtulo. Quia & ipſorum eſt eos introducere de loco expiationis, in locum æternæ exultationis. Quapropter & nos dicere poſſumus Angelis eorum cuſtodibus & fautoribus illud: *Ite Angeli veloces ad gentem convulſam & dilaceratam, ad gentem exſpectantem & conculcatam.* *Iſai. 18.* Hoc enim etiam verum eſt de turba animarum, quæ in pœnis purgatoriis torquentur, & quaſi in torculari calcatam, gentem nimirum eſſe convulſam & dilaceratam; ideoque velociter auxilium exſpectare, & maxime ab Angelis ſibi ab utero uſque ad ſepulchrum comitibus, & futuræ gloriæ conſortibus.

*3. Ad Beatos, maxime ſuos Patronos.*

Tertio, ad Beatos ſuas dirigunt lamentationes; ad illos præſertim quorum patrocinio ſpecialiter confiſi ſunt, dum in hac vita mortali degerent; quorumque auxilium in neceſſitatibus ſæpe experti ſunt, ſpeciali devotione eis addicti. Neque hi eis tunc deſunt in ſumma tribulatione & neceſſitate.

*Hier. 38.* Sed ſicut olim Hieremiæ ſervi Regis ſubmiſerunt funiculos & pannos veteres, ut qui nudus pene in lacum iniectus fuerat, molli extrahentium manu, & pannorum adiumento ac tegumento educeretur: ſic & Beati, Regis æterni ſervi, pannos ſuos veteres, hoc eſt, antiqua merita, funesque ſpecialis interceſſionis mittunt his in lacum deiectis & incarceratis, ut illis cooperti & adiuti, educantur ſecure, & coram facie Regis compareant, fœlices cum ipſis futuri ex eius viſione.

*4. Ad amicos adhuc vivos.*

Quarto, dirigunt lamentationes ſuas ad amicos ſuos viventes, quorum ope poſſunt adiuvari. Et quidem adiuvari poſſunt opibus ipſis quos moriendo ipſis reliquerunt, ſi in pia opera impendantur, in eleemoſynas & opera miſericordiæ, in ſuffragia & ſacrificia, aliasque cauſas pias. Suis ergo lamentis pietatem & compaſſionem eorum cordi inculcare ſatagunt, ne illis ditati luxurientur & prodigant, aut in proceſſus & lites infœliciter impendant: ſed extremam neceſſitatem patientibus ſuccurrant, in carcere iſto pœnali, ſed acerbo, ad tempus detentis; quod abbreviare, in eorum ſitum eſt poteſtate. Nota eſt & decantata vox illa defunctorum lamenta repræſentans: *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Quare perſequemini me ſicut Deus, & carnibus meis ſaturamini?*

Non eſt vox iſta vox deſperantium, quia ſciunt finiendas tandem pœnas & ſupplicia, ſed eſt vox deplo-

deplotantium pœnarum acerbitatem, & longam miſeriarum catenam; auxiliumque implorantium, ut quantocyus liberentur. Merito ſane lamentum ab eis eliciunt pœnæ iſtæ graviſſimæ ſupra omnes huius mortalis vitæ: angoremque ac preſſuram grandem parit, quod neſciant quando ſint finem accepturæ, quia & unicum peccatum veniale multo poteſt plecti tempore. Vndique igitur opem ſuis accerſunt lamentis, & cum magnopere juvari poſſint à ſuis hæredibus & amicis, eorum ſæpe coguntur deplorare ingratitudinem.

Hæ igitur tres ſunt libri noſtri myſtici partes, per *Carmen, Væ, Lamentationes* deſignatæ: quem quidem librum per ſingulas ſuas partes comedere, ruminare, digerere, inſtar Prophetæ, proficuum eſt ad ſalutem. Quia inde fructuoſe poſſumus non ventrem paſcere, ſed mentem. Et licet forſitan in aliqua ſui parte amaritudinem generet quaſi felleam; illa tamen deſinet in dulcedinem melleam, & ęternam tandem ſuavitatem parere apta erit, prout & contigit Prophetæ noſtro. Cui cum dictum fuiſſet: *Fili hominis, viſcera tua complebuntur volumine iſto, quod ego do tibi*; poſtea fatetur: *Et comedi illud, & factum eſt in ore meo ſicut mel dulce.* Quod ipſum contigit S. Ioanni in Apoc. c. 10. poſt librum devoratum de manu Angeli. Licet enim ex illo amaricatus ſit venter eius, in ore tamen tanquam mel duce effectus eſt.

*Ruminare & digerere hunc librum convenit in exequiis. Eccleſ. 7.*

Hunc porro librum ruminare, & per partes ſuas digerere, quando magis opportunum eſt, quam in funeribus & exequiis defunctorum, quando admonemur finis cunctorum hominum? Propterea dixit Sapiens: *Melius eſt ire ad domum luctus, quam ad domum convivii; in illa enim finis admonetur cunctorum hominum.* Quod ſi & convivium in funere amicorum quandoque exhibetur, attendenda eſt illic cœleſtis manus exhibens hunc librum, complectentem *Carmen, Væ, & lamentum*, tanquam præcipuum ferculum, quo debet mens tunc cibari. Nam & Ægyptii dicuntur olim tunc convivantibus, in orbem circumtuliſſe mortui cranium, ſeu mortis imaginem, inclamando cuilibet: *Bibe: comede, epulare, poſt mortem talis futurus.* Mortis quidem inculcare ſatagebant memoriam, cuius habebant notitiam, ipſa docente coram oculis experientia. Sed eorum quæ poſt mortem futura ſunt, habebant inſcitiam, quia ſola Fides de his Chriſtianum animum inſtruit. Ergo Chriſtianorum eſt ea ruminare frequenter, ac præſertim in morte charorum, ut & ſibi provideant, & ipſis: ſibi ad cautelam per lamenta pœnitentiæ, ipſis ad opem, ſi egeant, ſtudioſè & piè ferendam per orationes & opera miſericordiæ.

Applicatio

QVis porro poteſt dicere de defuncto noſtro, cuius exequias votis cum luctu coniunctis celebramus, cuinam parti huius libri adſcriptus ſit? an Væ inclamet? an Canticum laudis perpetuæ decantet? an vero adhuc inter Lamentationes hæreat? Equidem piam ſpem concipimus, eum jam inter Beatos cœleſtes concinere laudes, qui in has vita divinis laudibus oblectabatur, officia divina frequentans cum pietate, divinaque ſacramenta, quique puritati conſcientiæ ſtudebat, ruminans ſępe tres huius libri patres, & conſiderans quid poſt hanc vitam futurum ſit. Si tamen adhuc inter lamentationes ageret, ob aliqua peccata venialia vel ob necdum plenam ſatisfactionem, nos & ſacrificiis & ſuffragiis adjuvare cum poſſumus & aurem manumque ei præbere, ut quantocyus liberetur, &c.

*Timenti Dominum bene erit in extremis & in die defunctionis ſuæ benedicetur.* Lect.
Eccl. 1.

ABſentia Timoris Dei, origo eſt omnis mali. Eſt enim Timor Dei velut frænum, quo retinemur, ne in peccata labamur. Qui hunc excutit, in omne malum & pręcipitium facile ruit, laxans habenas ad omnes cupiditates. Efficiturque inſtar equi ferocientis, ſine chamo & fræno in foveam & ſaxa ſe pręcipitem dantis. Quapropter Pſaltes cum, dixiſſet, quod homines in malum declinaverunt, quodque os eorum repletum ſit maledictione, cor amaritudine, lingua fraude, pedes profuſo ſanguine, viæ infelicitate, horum omnium malorum cauſam ſubjicit: *Non eſt timor Dei ante oculos eorum.* Vtique ſi ille eis adeſſet, tanquam frænum potens ab his omnibus præcipitiis hominem cohiberet: tanquam Ianitor aut Vigil caſtrum animæ cuſtodiret, ne tot vitia ingrederentur velut hoſtes perduelles: tanquam ſepes aut murus vineæ, tot animales paſſiones, cuncta fructuoſa conculcantes, vel depaſcentes, arceret: tanquam Pædagogus ſollicitus ad meliora urgeret.

*Abſentia timoris Domini in homine quid faciat. Pſal. 13.*

Sicut porro abſentia Timoris Dei origo eſt omnis mali, ita & ejus præſentia fons eſt omnis boni. Quapropter Tobias erudiens filium dicebat: *Fili pauperem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum.* Ideo etiam Propheta Iſaias juſtis, ſive timentibus Deum, bona omnia vult annunciari, dum dicit: *Dicite iuſto, quoniam bene.* Et Pſalmiſta cum dixiſſet: *Beati omnes, qui timent Dominum*; addit: *Labores manuum tuarum manducabis, beatus es, bene tibi erit.* Sic & Sapiens hic dicit: *Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die benedictionis ſuæ benedicetur.* Ac poſtmodum idem repetens v. 9. abſolute dicit: *Timenti Dominnm bene erit.* Habent igitur energiam & emphaſin hæc verba, Bene Erit, ſive apud Pſalmiſtam, ſive apud Sapientem, ſive apud Prophetam. Quapropter vulgari noſtro idiomate hominem timentem Deum & juſtum, vocamus Homme de Bien.

*Præſentia timoris Domini fons omnis boni. Tob. 4. Iſai. 3. Pſ. 127.*

Quid eſt ergo, *Dicite juſto, quoniam benè?* Legatio quædam eſt, quam juſtis omnibus Deus mittit, & per eam multa promittit. Quia licet valde brevis ſit verborum duorum velata cortice, magnifica tamen

*Iſai. 3.*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*Quomodo dicatur juſto eſſe bene*

tamen eſt, & bona continet in re. Nam dum, hoc eis nunciarii jubetur, *QVONIAM BENE*, omne bonum eis promittitur ſine limitatione, & ſignificatur omne genus boni eis reſervari in compenſam; omne, inquam, quod humanum poſſet cor exoptare. Quapropter quod Dominus Moyſi dixit quondam: *Ego oſtendam tibi omne bonum*; his quoque prædictis verbis cenſetur contineri. Sicut enim Deus nomen ſuum indicans Moyſi, non alio vult deſignari nomine quam illo, *QVI EST*, & per id vult ſignificare, quod eſſe ſuum ſit ſine fine & limite, quodque ſit ipſum eſſe æternum, immutabile perfectiſſimum, continens omne eſſe. Similiter cum juſtis promittit quod ipſis *BENE ERIT*, illuminatum bonum, æternum perfectiſſimum cenſetur promittere. Idem igitur eſt, ac ſi dicat: Dicite timenti Deum, quod felix ſit ejus nativitas in hanc vitam, eius progreſſus, eius finis; quia benedictus eſt ejus introitus & exitus, vita & mors, & quæ illam ſubſequuntur. Rurſus dicite ei, *quoniam bene*, quia ei omnia in bonum vertet Deus, ſive in labore, ſive in requie, ſive in honore, ſive in ignominia, ſive in proſperitate, ſive in adverſitate; quia his qui timent & *diligunt Deum, omnia cooperantur in bonum*. Iterum dicite ei, *quoniam bene*; nam licet totius mundi ſeries involvatur & ordo, ita ut omnia male ſuccedere dicantur, ipſiſmet cœlis & elementis in quandam redactis confuſionem, tamen ei male eſſe non poteſt.

*Exod. 33.* *Exod. 3.* *Rom. 8.*

*Horatius.*

*Si fractus illabatur orbis,*
*Impavidum ferient ruinæ.*

Denique dicite ei, *quoniam bene*; quia nomen eius ſcriptum eſt in libro vitæ ex quo obliterari non continget, atque bonum illud ei præparatum eſt, quod eſt ſuper omne bonum, viſio ſcilicet & fruitio Dei, & à malo, quod eſt ſuper omne, liber reficietur à ſocietate Dæmonum. Bene ei erit, & ex parte animæ, & ex parte corporis: quia *ſi ſeminatur animale, ſurget ſpirituale; ſi ſeminatur in corruptione, ſurget in incorruptione.*

*Iuſto ſpecialiter bene erit in extremis.*

*Eccli. 1.*

Specialiter autem dicitur apud Sapientem, quod ei *bene erit in extremis*, quia tunc adimpletur illud quod paulo ante dixerat: *Timor Domini gloria & gloriatio, & lætitia & corona exultationis Timor Domini delectabitur cor, & dabit lætitiam, & gaudiũ & longitudinem dierum*. Lætificat nimirum cor in fine quaſi bonus ſanguis, ſpemque vivam generat animam exhilarantem, dum tot anxietates in extremis animam circumdant & confligunt mixtim cum doloribus corporis, & ad æternitatem animum erigit, ubi longitudo dierum ſine fine. Tunc non timent qui Deum timuerunt, ſed illud quod ſcriptum eſt, de eis verificatur; *Tunc levare poteris faciem tuam abſque macula, & eris ſtabilis, & non timebis. Miſeriæ quoque oblivíſceris & quaſi aquarum quæ præterierunt, recordaberis. Et quaſi meridianus fulgor conſurget tibi ad veſperam, & cum te conſumptum putaveris, orieris ut Lucifer. Et habebis fiduciam propoſita tibi ſpe, & defoſſus ſecurus dormies Requieſces, & non erit qui exterreat.*

*Iob. 11.*

*Vitis floriger.*

*Impio malo erit in extremis.*

Cum igitur hæc omnia timenti Deum tunc contingant, quam merito dicitur quod ei *bene erit in extremis*? E contra, qui Dei timorem in vita non coluerit & aluerit, timorem inexplicabilem concipiet in extremis, & malè ei erit, lumenque deficiet quando nox aderit. Quocirca S. Gregorius lib. 18. Moral. capit. 12. explicans dicta verba; *Conſurget tibi meridianus fulgor ad veſperam*, ſic loquitur: *Peccatoris lumen in die, eſt obſcuritas in veſpere; quia in præſentis vitæ fœlicitate attollitur, ſed adverſitatis tenebris in fine devoratur. Iuſto autem meridianus fulgor ad veſperam ſurgit, quia quanta ſibi claritas maneat, cum jam occumbere cœperit, agnoſcit. Hinc namque ſcriptum eſt: Timenti Deum bene erit in extremis.* Hæc ille.

*Timens Deum in morte ſua benedicetur 1. ab hominibus.*

Subjungit Sapiens: *Et in die defunctionis ſuæ benedicetur*. A quibus vero timens Deum benedicetur tunc temporis? Certè ab Hominibus, ab Angelis, à Deo.

Primo quidem ab Hominibus, qui circuibant in platea plangentes, & dicentes: *Vere vir bonus erat iſte, Deus ei benedicat, requiem pacemque in æternum concedat, & ad gloriam ſuam perducat.* An non hoc audiamus in morte juſtorum? An non hoc dicimus, dum eorum monumenta pertranſeundo conſpicimus: Certe arguuntur qui id non faciunt, & de illis poſſumus illud Pſaltis uſurpare: *Non dixerunt qui præteribant, benedictio Domini ſuper vos, benediximus vobis in nomine Domini.* Benedicuntur quoque juſti & timentes Deum à pauperibus, erga quos ſe beneficos oſtenderunt. Hinc illud: *Splendidum in panibus benedicent, labia multorum, & teſtimonium veritatis illi fidele.* Dicitur ille ſplendidus in panibus, qui panem ſuum liberaliter & hilariter communicat egenis & amicis: & hic ſolet benedici ore multorum, & teſtimonium quod eius probitati & liberalitati perhibetur, fidele eſt, verum certum, ſtabileque & diuturnum.

*Pſal. 12.* *Eccl. 21.*

*2. Ab Angelis.*

Secundo benedicetur ab Angelis, quia hi ſunt ſapientes conſiliarii & fortes auxiliarii; qui aſſiſtunt timentibus Deum uſque ad extremum, ut tandem animam educant è corpora, & ad cœlum perducant, & illi benedicant, ac cum illa Dei benedictiones æternum prædicent. Hinc multos legimus ab Angelis benedictionibus & hymnis à morte in cœlum mox deductos. Nam de Lazaro ſcriptum eſt: *Factum eſt ut potaretur ab Angelis &c.* De qua re agens S. Chryſoſtomus, ſic ait: *Factum eſt ut portaretur ab Angelis, ne ſaltem ambulans laboraret. Portabatur poſt tantos labores, quia defecerat & portabatur ab Angelis. Non ſuffecerat ad portandum pauperi unus Angelus, ſed propterea veniunt plures, ut chorum lætitiæ faciant. Gaudet unusquiſque Angelorum tantum onus tangere, libenter talibus oneribus prægravantur, ut adducant homines ad regna cœlorum.*

*Luc. 16.*

*3. Ab ipſo Deo.* *Matt. 25.* *Epheſ. 1.* *Pſal. 127.*

Tertio benedicetur à Deo in extremo vitæ ſuæ, quia illud audiet: *Venite benedicti Patris mei.* Qui ab eo benedictus fuit in vita, non poterit non obtinere benedictionem in morte, & poſt mortem, & dicere: *Benedictus Deus qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali, in cœleſtibus, in Chriſto.* Experietur quoque illud Pſaltis: *Ecce ſic benedicetur homo qui timet Dominũ. Benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas bona Ieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ,* æternæ ſcilicet pacis & civitatis bona.

*4. A Sacerdotib.*

Denique, benedicetur homo timens Dominum à Sacerdotibus, preces & ſacrificia pro ipſo offerentibus; in quibus omnem ei benedictionem apprecantur in virtute Sanguinis Chriſti & benedictæ ejus Paſſionis. An non ei benedicunt, dum in terram benedictam deponunt corpus cum tot benedictionibus? Vtuntur enim crucis ligno ad benedicendum defuncto, aqua benedicta, candelis benedictis, campanis benedictis, & multis aliis cæremoniis eis benedictionem omnem impertiuntur.

*Applicatio*

DEfunctus N. cuius exequias celebramus, vir fuit timens Deum, coram ipſo, & coram proximo juſte converſans; erga pauperes miſericors. Bene ergo ei fuiſſe in extremus confidimus, & ideo eum in die defunctionis benedicimus, & teſtimonium ei bonum dant omnes: unde & benedictionem ab Angelis, atque à Domino percepiſſe, exiſtimamus, & ex toto certe corde optamus &c.

LECT. 3.

*Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.*
Eccleſ. 11.

*Homo arbori comparatur.* *Pſal. 1.* *Matt. 3.*

FRequenter in ſacris litteris homo arbori comparatur. Vnde illud de bonis ſcriptum eſt: *Erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecutus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* De malis autem pronunciat Dominus: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, exſcindetur, & in ignem mittetur.* Generaliter autem hic, tam de bonis, quam de malis dicit Eccleſiaſtes: *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Inevitabilem autem finis noſtris conditionem his verbis vult inſinuare Sapiens. Quaſi dicat: Sicut arbor non poteſt ſemper in virore eſſe, ſed aliquando debet concidere vel antiquitate putrefacta vel impulſu ventorum eradicata, vel manu hominum. Sic homo non poteſt perpetuo vitam ſervare, ſed cadat tandem neceſſe eſt, vel ex defectu naturalis ſenii, vel ex violentia morbi, vel aliunde ei incuſſa vi, qui eum exſcindat.

*Arborem tandem cadere eſt neceſſum ſic hominem mori.*

*Dan. 4.*

Hinc illud: *Succidite arborem, & præcidite ramos eius excutite folia: & diſpergite fructus eius, fugiant beſtiæ quæ ſubter eam ſunt, & volucres de ramis eius.* Monarcha erat, de quo hic agitur, Arbor itaque procera uſque ad cœlum, quia poſt Deum nullus ſublimior, Quenam vero eius folia, niſi vernãs eius gloria, oculoſque intuentium oblectans? Qui fructus ipſius, niſi divitiæ, & omnium rerum, circumcingens cum abundantia? Quinam volueres, niſi proceres multi atque adulatores, eius aures mulcentes? Hi vel in ramis degunt ſublimes, vel ſub arboris huius umbra de fructu ſunt viventes. Hi omnes ſucciſa arbore fugiunt, quia illud impletur: *Nolite confidere in Principibus, exibit ſpiritus eius, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* *Pſ. 145.*

*Omnes juſti & mali cadunt per mortem.* *Eccleſ. 7.*

Interim, tam boni, quam mali cadunt per mortem, tam humiles arbores, quam ſublimes, tam fructuoſæ, quam ſteriles. Quamvis has ſæpius contingat ante tempus cadere, & exſcindi providentia & vi cœleſti, dicente Eccleſiaſte: *Ne impie agas multum non moriaris in tempore non tuo.* Quocirca dicebat eleganter S. Chryſologus hac de re agens ſerm. 196. Infructuoſa arbor intricat ceſpitem, necat ſpatia, exhaurit terræ vires, cultorem conficit damno afficit tædio poſſidentem, ac ſi exſcindere eam lucrum eſt. Sic homo qui naturæ donum, munus animæ, rationis beneficium, excellentiam ſenſus judicium mentis, artis induſtriam, culturæ bonum per ſteriles & inopes actus evertit, occupat, mergit, auctori fructum, cultori gratiam negat. Sicut arbor è terra, ſic iſte è vita meretur excidi. Et ſicut infœcunda arbor, ſive fuerit in vinea, dum fundit mortiferam ſubiectis viribus umbram, inimica non ſibi ſoli, ſed etiam palmitibus fit fœcundis: ita homo deſes & ignavus, ſi præſit populis, non ſibi ſoli fit noxius, ſed multis, dum ſequentes ſe ſuo vitiat & perdit exemplo. Hęc ille.

*Infructuoſa arbor, homini negligenti accommodata.*

*Vt lignum cadit ad Aquilonem vel Auſtrum, ſic homo in ſtatu peccati vel gratiæ moritur.*

Dicamus ulterius: Quod ſicut lignum dum cadit, ad partem Aquilonarem cadit, vel Auſtralem, ita & homo: quia ſcilicet moritur vel in ſtatu peccati & damnationis, vel in ſtatu gratiæ & ſalutis. Aquilo in malum more loquendi Scripturæ ſacræ ſumitur, quapropter ſtatum damnationis deſignat. *Ab Aquilone panditur omne malum.* Dæmon, qui omnis malitiæ & damnationis caput eſt, per Regem Babylonis deſignatur & ipſe ſe *in lateribus Aquilonis ſedere* gloriatur. Populi quoque gentium *Latera Aquilonis* appellantur, ratione frigoris, malitiæ, & infidelitatis. Auſter verò in ſacris litteris in bonum ſumitur, quapropter deſignat ſtatum gratiæ & ſalutis. *Deus ab Auſtro veniet,* ait Propheta. Item Domino dicimus: *Converte, Domine, captivitatem noſtram, ſicut torrens in Auſtro.* Hoc eſt, converte captivos noſtros, & reduc in patriam, eoſque exhilara, ſicut torrens flante Auſtro terram convertit & exhilarat copia aquarum, quas Auſter calore ſuo ſolvens glaciem & liquans nivem procreare & inducere ſolet. Sic dicitur: *Surge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Hoc eſt, diſcede tuo, ô Aquilo frigide, qui omnia induras & exſiccas; veni tu, ô Auſter, qui omnia benigno flatu tuo facis ſpirare in odorem ſuavitatis, & fluere cum jucunditate. Itaque æque cadunt boni & mali, electi & reprobi,

*Ier. 1.* *Aquilo in malum ſumitur.* *Iſa. 14.* *Pſal. 47.* *Auſter in bonum.* *Abac. 3.* *Pſal. 125.* *Cant. 4.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

probi, nam eſt hæc lex ſuper omnes filios Adæ; ſed non omnes in eandem partem cadunt, quandoquidem non omnes in eodem ſtatu agant.

*Quid ſit eſſe ad Aquilonem vel Auſtrum.*

Adjicitur denique à Sapiente: *Vbicunque ceciderit lignum, ibi erit*; quia utique homo dum moritur, cadit ad ęternitatem, vel beatam, vel infelicem. Ad beatam quidem, ſi ad Auſtrum cadat, hoc eſt, ſi in ſtatu gratiæ decedat. Ad infelicem autem æternitatem, ſi ad Aquilonem cadat, hoc eſt, ſi in ſtatu peccati mortalis moriatur. Ibi ergo erit, ſine ulla ſpe; vel metu, tranſeundi de uno extremo ad extremum alterum, de Auſtro in Aquilonem, aut ècontra. Nempe inter regionem Auſtri & Aquilonis *firmatum eſt chaos magnum, ut hi qui volunt hinc tranſire, non poſſint, neque inde huc tranſmeare*, prout dicebat Abraham Epuloni. (*Luc. 16.*) Quo quidem loquendi modo indicat diſtantiam inter reprobos & electos, & inæqualitatem meritorum inter eos: ita ut juſtitiæ divinæ decreto immutabiliter conſtitutum ſit, ut electi maneant in bono confirmati, & reprobi in malo obſtinati. Et hinc fit, ut chaos, hoc eſt, hiatus, abyſſus, & vorago impermeabilis inter eos eſſe dicatur, ita ut Sancti nullum damnatis auxilium ferre valeant, quamvis deſiderio quodam naturali ad id ferri videretur. Lignum itaque ſi ceciderit, ibi erit, quia nec locus eſt pœnitentiæ poſt mortem, nec remedium, nec ullum auxilium ſperandum. Et, ut ait S. Bernardus: *Cum ceciderit, non adjiciet ut reſurgat, nec ut ſe vertat. Ibi te judicabit Deus, ubi invenerit, & quidem immutabiliter & irretractabiliter.*

*Bern. ſer. 49. inter parvos.*

*Ad quam partem homo caſurus hic incertum eſt.*

Quamdiu autem ſumus in hoc mundo, non poſſumus certo ſcire, ad quam partem noſter futurus ſit caſus: quia licet videamur tendere ad Auſtrum, ſumus tamen inconſtantes & mutabiles, ita ut poſſimus rurſus reflectere nos ad Aquilonem. Immo non vult Deus nos id ſcire, teſte Sapiente: *Sunt juſti & ſapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen neſcit homo, utrum amore an odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſervantur incerta.* (*Prov. 9.*) Hoc autem voluit Deus nos ignorare, ut ſemper ſtemus coram illo cum humilitate & ſollicitudine, & circumſpiciamus nobis.

*Signa probabilia, quo arbor caſura ſit. Bern. ſer. 49. in parvis.*

Sunt tamen nonnulla probabilia ſigna ad judicandum quo arbor ſit caſura. Illuc ſcilicet cadere ſolet arbor, quo tendit maior ramorum copia, majusque pondus, quando exciditur. Qui ſunt rami noſtri? Audi S. Bernardum: *Rami noſtri, deſideria noſtra ſunt, quibus ad Auſtrum extendimur, ſi ſpiritualia fuerint; ſi carnalia, ad Aquilonem. Quæ vero præponderant, medium corpus indicat.* Ea namque præponderant, *quæ ſecum traxerint corpus. Eſt enim corpus noſtrum inter ſpiritum, qui ſervire debet, & carnalia deſideria, qua militant adverſus animam ſpiritum.* Hæc S. Berrardus. Itaque rami animæ examinandi ſunt, hoc eſt, deſideria, cogitationes, ſollicitudines noſtræ. Quæquidem ſi de illis quæ ſalutem concernunt, principaliter ſint, ſignum certe bonum, quod ad Auſtrum tendimus, & quod in illo æternum requieſcemus, hoc eſt, in parte electorum. Si vero de terrenis, mundanis, vaniſque totâ noſtra ſit ſollicitudo & occupatio; ita ut in ſpiritualibus nonniſi torporem, frigus, ſiccitatem, tædiumque experiamur, indicium eſt nos tendere ad Aquilonem, ad partem reproborum, noſque cum illo futuros qui gloriatur: *Sedebo in lateribus Aquilonis.* (*Iſai. 14.*)

**Applicatio.**

Defunctus, cui hodie lugentes parentatis, arbor fuit plantata manu Dei in horto florido & fructifero Eccleſiæ ſecus decurſus aquarum, rigata rore cœleſti, rivulis gratiæ divinæ. Fructumque dedit in tempore ſuo pietatis erga Deum, charitatis erga proximum, bonæ converſationis, bonique exempli erga populum, Fructum, inquam, dedit bonorum operum juxta opus ſuum, ſive juxta vocationem in qua à Deo poſitus fuerat, Eheu, hæc arbor morbi violentiâ exciſa eſt, non ſine veſtro & amicorum luctu! Attamen huc ſolatio eſſe debet, quod ſperandum ſit, eum cecidiſſe feliciter, hoc eſt ad Auſtrum & ſortem electorum: quia illuc tendebant eius deſideria, cogitationes, ſollicitudines, pia exercitia, eleëmoſynę, operaque alia bona. Sollicitus nimirum fuit de ſalute, in verbo Dei audiendo, in frequentatione ſacrificii quotidiani, in frequentatione Sacramentorum. Denique longa in morbo patientia probatus, omnibus armis ſpiritualibus munitus, ex hac vita exceſſit: quæ omnia nobis indicio ſunt, eum ad requiem cecidiſſe, & in dextra, agere, &c.

## LECT. 4.

*Videte, vigilate, & orate; neſcitis enim quando tempus ſit.* Marc. 13.

*Exhortatio ad præparandum ſe contra ſubitam mortem.*

Primò hic requiritur pro diſpoſitione ad mortem felicem, ut oculos aperiamus, dum dicitur Videte. Nempe multi ſunt qui videre ſe putant, & cæci ſunt; *Videntes non vident, audientes non intelligunt.* De his dici poteſt illud: *Non dedit Dominus vobis cor intelligens, & oculos videntes, uſque in præſentem diem.* (*Deut. 29.*) Non vident ſtatum animæ ſuæ, non conſiderans finem ſuum, non pœnas futuras, aut præmia, nec Dei judicia: *Via impiorum tenebroſa, neſciunt ubi corruant.* (*Prov. 4.*) *Eſt via quæ videtur homini recta, & noviſſima eius ducunt ad mortē,* inquit Sapiens. (*Prov. 14.*) His ergo meritò dicitur Videte: hoc eſt, attendite ſeriò, & conſiderate ſcopum ad quem attenditis; viam per quam pergitis; viæ impedimenta, ne impingatis, & tandem in præcipitium irrevocabile corruatis. Aperite oculos, *antequam offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos, & date gloriam Deo antequam contenebreſcat.* (*Hier. 13.*)

*Primo requiritur* Videte.

Sic in Apocalypſi cuidam dicitur: *inunge oculos tuos, ut videas, & appareat tibi confuſio nuditatis tuæ. Neſcis enim quia pauper es & cæcus, & nudus & miſer, & miſerabilis.* (*Apoc. 3.*) Certè multis collyrio opus eſt, ut videant plenius confuſionem ſuam

 & reſpi-

& reſpiciant finem ſuum. Luto oculos illinens, cæ-
Ioan. 9. cum reddidit videntem Chriſtus Dominus. O fe-
lix lutũ, quo multi egent ad clarè videndum! Si
enim vilem ſuam & luteam originem conſidera-
rent, & in lutum tandem reſolutionem noviſſi-
mam, & hoc luto illuminari poſſent, ut viam veri-
tatis & humilitatis ambularent, & deſpectis rebus
præſentibus & caducis futura & æterna reſpice-
rent. Audi Originem hom. 15. in Gen. *Vtinam nobis
injiciat manus Ieſus ſuper oculos, ut incipiamus re-
ſpicere; non ea quæ videntur, ſed quæ non videntur;
& aperiat nobis illos oculos qui non intuentur præ-
ſentia, ſed futura; & revelet nobis cordis aſpectum,
quo Deus videtur in ſpiritu.*

2. Vigilate. Secundò, requiritur, ut videntes vigilemus, &
ſoporem excutiamus quapropter adjicitur; VIGI-
LATE. Quaſi unicuique diceretur Diſpone vigilan-
ter de his quæ animum concernunt & ſalutem tu-
am. Si in negotiis ſæculi vigil eſſe ſoles, ne in hoc
tanti momenti negotio torpeſcas. Olim dicebat
Hier. c. 1. vox cœleſtis Prophetæ Hieremiæ: *Quid vides Hie-
remia?* Reſpondet: *Virgam vigilantem ego video.*
Rurſus interrogatur: *Quid vides Hieremia?* Re-
ſpondet: *Ollam ſuccenſam ego video, & faciem eius
à facie Aquilonis.* Aperiat unusquisque oculos in-
ſtar Prophetæ, & vigilet, ut virgam Dei vigilan-
tem & peccatorum vertici incumbentem, à ſe a-
vertat. Aperiat oculos, & vigilet; ne in ollam ſuc-
cenſam iræ divinæ, & flammæ ultricis mittatur
Apoc. 19. cujus *Fumus aſcendit in ſæcula ſæculorum.* VIDETE
Iſai. 21. & VIGILATE. Felix qui potuerit dicere: *Super ſpe-
culam Domini ego ſum, ſtans jugiter per diem; & ſu-
per cuſtodiam meam ego ſum, ſtans totis noctibus.* Ille
autem hoc valet dicere, qui conſideratione vigili
ſpeculatur futura, ut ſibi ab hoſtili incurſu provi-
deat, & ſecuritatem conciliet in vita hac diſcrimi-
na plena. Hoc certè monebat Propheta, dum dicit.
Hier. 31. *Statue tibi ſpeculam, pone amaritudines, dirige cor
tuum in viam rectam.* Securè moritur, qui vigilave-
rit. Beati ſervi, quos cùm venerit Dominus, invene-
rit vigilantes, ſive in prima, ſive in ſecunda, ſive in
tertia vigilia venerit; hoc eſt, ſive in adoleſcentia
ſive in virilitate, ſive in ſenio eos ex hac vita evoca-
Iob. 14. verit. Beatus miles, qui dicere poteſt: *Cunctis diebus
quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio
mea. Vocabis me, & ego reſpondebo tibi. Operi manu-
um tuarum porriges dexteram.* Ad nihil ita fre-
quenter exhortatur ſacra Doctrina, quam ad vigi-
landum. Ille dormit, qui in peccato agit; quique ſi-
ne timore eſt cum peccavit. Inter brachia Satanæ
obdormiſcit. Reprehenditur Isboſeth, quod cum
ſecuritate obdormit in meridie, cui interim inſidi-
atores in conclave irrepentes caput amputant. Is-
2. Reg. 4. boſeth idem eſt quod *Vir confuſionis.* Sanè vir con-
fuſionis eſt, qui non vigilat, quia facilè in ſuum ca-
put inſidiatores admittit. Similiter repræhenditur
Ionas, quod imminente tempeſtate in ſentina navis
jaceat oppreſſus ſopori gravi. Sequendum ergo
hoc Domini conſilium: VIDETE VIGILATE, ad
obviandam ſcilicet variis periculis, quæ animum
circumcingunt quotidie.

Huc referri poteſt illud: *Quis arguet viam eius* Iob. 21.
*coram eo? Ipſe ad ſepulchra ducetur, & in congerie
mortuorum vigilabit.* Quod aliqui ſic interpretan-
tur, quaſi optet vir ſanctus, ad remedium viri im-
pii, ut aliquis prædicet illi viam eius, viam ſcilicet
univerſæ carnis, quodque efferendus ſit ad ſepul-
chrum. Quod ſi corde recogitare voluerit, procul
dubio vigilabit in congerie mortuorum, præ ſolli-
citudine imminentis mortis, & timore putei & a-
byſſi infernalis, cui ſuave videtur abſorbere impios
niſi vigilent. Vnde ſequitur: *Dulcis fuit glareis Co-
cyci.* Cocytus apud Poëtas fluvius eſt inferni: Gla-
rea autem eſt terra prope fluvium arenoſa: Vult
ergò dicere: Iucundum eſt morti eum ad ſe rapere,
ſive regioni mortis, niſi ſcilicet vigilet & conver-
tatur. Quod ſi meditans mortem vigilet, mors jam
ei non erit gravis, ſed ſuavis. Inſpiciat ergo unus-
quisque viam ſuam, & finem viæ: ad ſepulchra du-
cat eum conſideratio, ut in congerie mortuo-
rum vigilem excitet animum videat mente fluvi-
um infernalem qui omnes ad ſe rapere velle vide-
tur; deſcendat ad infernum vivens, ſic fiet, ut non
deſcendat moriens. Hoc rurſus eſt quod hic admo-
nemur, VIDETE VIGILATE.

Tertiò adjicitur, ET ORATE. Hac nempe ratio- 3. Orate.
ne vitantur pericula & diſcrimina. Quod apertius Luc. 21.
exprimitur: *Vigilate omni tempore orantes, ut di-
gni habeamini fugere iſta omnia quæ futura ſunt, &
ſtare ante Filium hominis.* Nempè graviſſimis nos
cingentibus malis ac periculis, opus eſt divino ſub-
ſidio, eiusque manu opitulante & dirigente. Illam
porrò ſibi conciliat noſtra oratio perſeverans.
Quapropter Ionæ dormienti, qui typum gerit tor-
pidi Chriſtiani, dicitur. *Quid ſopore deprimeris?* Ioan. 1.
*Surge, invoca Deum tuum, ſi fortè recogitet de nobis
& non pereamus.* Hoc ei dicebat Gubernator navis.
Hoc ipſum nobis dicere cenſetur Chriſtus. Navis
univerſalis Rector, dum dicit: *Videte, vigilate, ora-
te.* Et hoc maximè audire debemus, dum tempus
afflictionis imminet, dum flagellis percutimur,
dum mortes multorum ſubitas intuemur, tunc e-
nim Vigillandum & Orandum, tunc oculi aperi-
endi, ut quaſi in ſpeculo nobis propoſito contem-
plemur, quid nobis accidere valeat, & attendamus
illam vocem: *Hodie mihi, cras tibi. Sic erit & judi-
cium tuum. Quod ſum, tu eris; quod es, fui.* Ergo
vide, vigila, ora, & *memento quæ ante te fuerunt, &
quæ superventura ſunt tibi; hoc judicium à Domino
omni carni.*

Quartò, datur ratio cur dictum ſit: *Videte, Vigi-* 4. Ratio
*late, Orate;* dum ſubjungitur: *Neſcitis enim quando* trium di-
*tempus ſit.* Certa eſt mors, ita ut rebus in humanis ctorum
nihil illâ ſit certiùs. Audi S. Auguſtinum ſerm. 21. conſideran-
de verb. Domini. *Cætera noſtra bona & mala incerta* da.
*ſunt, ſola mors certa eſt. Conceptus eſt puer fortè naſ-
citur, fortè aborſum facit. Ita incertum eſt: fortè creſ-
cit, fortè non creſcit; fortè ſeneſcit, fortè non ſeneſcit*
*fortè*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*fortè dives erit, forte pauper ; fortè uxorem ducet, fortè habebit filios; fortè ægrotat, fortè non ægrotat. Nunquid poteſt dicere : fortè moritur, fortè non moritur?* Hæc Auguſtinus. Interim die & horâ mortis nihil incertius, licet ipſa ſit certa. Hinc comparatur furi invenienti incertâ horâ, tum à Domino, tum ab Apoſtolo Paulo, tum ab Apoſtolo Petro, tum ab Apoſtolo Ioanne. O furem vigilanter cavendum, de quo toties ab Apoſtolis & ab ipſo Domino præmoniti ſumus! O furem perniciosiſſimum quandoquidem id quod nobis pretioſiſſimum eſt, rapit! Profodit enim domum corporis noſtri, & vitam tollit, quâ nihil pretioſius : immò & animam rapit, & ad Tartarum ſecum quandoque vehit infeliciſſimè omnibus bonis denudatam. Quam ſtolitus igitur eſt qui huic rei non advigilat?

*Matt. 24. 1. Theſſ. 5. 2. Pet. 3. Apoc. 3. & 16.*

Ideo vero voluit Deus nobis eſſe incertum mortis tempus, ut ſemper parati ſimus, *& ut ſemper ultima illa hora nobis ſit ſuſpecta*, inquit S. Gregorius, & alii SS. Patres, Audi Sanctum Ambroſium lib. 5. de fide cap. 8. *Nobis, ſcire non proderat. Vt dum certa futuri judicii momenta neſcimus, ſemper tanquam in excubiis conſtituti, peccandi conſuetudinem declinemus, ne nos inter vitia dies Domini deprehendat. Non enim prodeſt ſcire, ſed metuere quod futurum eſt.* Addunt SS. Doctores, quia mortis incertum eſt tempus, ideo ſic in omnibus nobis agendum eſſe, quaſi eſſet ultimum vitæ noſtræ. Audi Bernardum : *In omne opere dicat ſibi : Si modò moriturus eſſes faceres iſtud:* Cui conformiter S. Baſilius: *Semper ante oculos verſetur ultimus dies. Cum diluculo ſurrexeris, ad veſperam te ambigas pervenire. Et cùm adquieſcendum membra compoſueris, noli confidere de lucis adventu, ut faciliùs te ab omnibus vitiis poſſis refrænare.* Nempe nemo poteſt ſibi vel diem promittere, ut cernimus in multorum ſubita morte. *Rex hodie eſt, & cras morietur,* ait Sapiens. *De manu uſque ad veſperam finies me,* dicebat Rex Ezechias. Prudens igitur eſt qui poteſt dicere cum Apoſtolo: *Quotidie morior*; quia quotidie ad mortem ſe præparat.

*S. Greg. ho. 13. in Evang.*

*Bern. in ſpec. mon. Baſil. in- ſtruct. ad filium ſpir.*

*Eccl. 10. Iſai. 38. 1. Cor. 15.*

Tu igitur, Domine IESU, nobis dixiſti, *Videte, Vigilate, Orate.* Monitum tuum arrectâ aure excipimus : ſed cùm illud implere ſine tua ope non valeamus, aperi nobis oculos, ut videamus quæ intra nos, quæ circa, quæ ſupra, quæ infra nos : exinde excita mentum noſtram, ut ſeriò advigilemus vitæ præteritæ, præſenti, futuræ : denique aperi labia noſtra & cor noſtrum, ut illud in oratione effundamus coram te in tempore opportuno, & præteritorum veniam deprecantes ; amodò tibi placeamus, ac pœnas futuras evadamus.

*Applicatio ad defunctum facilis eſt, oſtendendo quomodo oculos aperuerit, vigilarit, orarit, ſe diſponens ad mortem.*

*Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis, &c.* Sap. 3.

LECT. 5.

NEmo ignorat in manu Dei eſſe omnia : *In manu eius ſunt omnes fines terræ*, ait Pſaltes. Ipſe etiam eſt, *qui tribus digitis appendit molem terræ*, quique *librat in pondere montes, & colles in ſtatera.* Tres eius digiti; Potentia, Sapientia, Providentia : quibus de univerſo orbe pro libitu diſponit, de imperiis & regnis, de ſceptris & diadematibus. Propterea etiam dicitur: *Ludens in orbe terrarum*, quia dominia & regna, opes & honores ab uno in alterum transfert, inſtar pilæ luſoriæ & volubilis, quæ de manu in manum tranſmittitur. Quocirca dixit Philo : *Verbum divinum choreas in orbe ducit, & gentes circumluſtrando, nunc his, nunc illis imperia vel tribuit, vel adimit.* Hoc conſpicuũ eſt in ipſo ſummo imperio, quod volubili circũgyratione ad varias gentes temporum ſucceſſu delatum eſſe, nimis notum eſt ex hiſtoriis.

*In manu Dei ſunt omnia. Pſal. 94. Iſai. 40. Prov. 8. Philos. de Deo immutab.*

Sed dicamus ſpecialiter impios in manu Dei eſſe, quia hos ſuâ manu coarctat plectit, in ſtatera ſua ponderat & reprobat. Quid eſt enim, quod dicitur *in ſtatera manus ſuæ montes ponderare*, niſi quod ſuperborum ſublimes animos examinat, ſive Reges ſint, ſive Principes, aut qualibet celſitudine præeminentes : Quid deinde? Certè cum celſitudinem cum impietate conjunctam reperit, è ſtatera ſua quaſi reprobi ponderis monetam rejicit, & à ſe in æternum abjicit ; ſicque oſtendit eos in manu ſua eſſe, ut de eis pro placito diſponat. Aut, ſi mavis, tenet eos in manu quaſi in ventilabro, & tanquam nimis leves exſufflat, ut exinde in ignem incidant inextinguibilem. Sic enim dicitur: *Ventilabrum in manu eius, & perpurgabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum, paleam autem comburet igni extinguibili.* Denique in manu ſua eos habet, quaſi ſordes in pallio quod ſuis tenet extremitatibus. Ad hoc enim videtur alludere Iob: *Tenuiſti concutiens extrema terræ, & excuſiſti impios ex ea.*

*Specialiter ſunt impiĩ in manu Dei. Matt. 3. Iob. 38.*

Vos igitur, ô Potentes, ô Principes, ô Nobiles, ſcitote quod in manu Dei eſtis, licet alios in manu veſtra habere vos exiſtimetis, quia poteſtatem exercetis ſuper eos ; eoſque manu veſtra ita quandoque premitis, ut etiam opprimatis. Vos ergo ſubjicite ei qui ponderat montes in ſtatera, quique eos reprobare poteſt & abjicere, ventilare & excutere: *Humiliamini ſub potenti manu Dei, ut in die viſitationis exaltet vos, quia ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.*

*1. Pet. 5.*

In manu Dei eras, ô Nabuchodonoſor, & ideo dum nimium exaltaris, ab illo ejectus ab hominibus, cum feris es converſatus, donec agnoſceres manum Dei cœli.

In manu Dei eras, ô Balthaſar, & in ſtatera ejus, ſed inventus es minus habens, & ideo ab eo reprobatus es.

*Exemplo eſt Nabuchodonoſor. Dan. 4. Balthaſ. Dan. 5.*

Zz z 3 In ma-

*Sennacherib. 4. Reg. 19.* In manu Dei eras, ô Sennacherib, ſed quia exaltaſti vocem, & levaſti altitudinem oculorum tuorum dictum eſt tibi: *Ponam circulum in naribus tuis, & camum in labiis tuis, & reducam te per viam per quam veniſti.*

*Antioch. 2. Mac. 9.* In manu Dei eras, ô Antioche, ſed quia ſidera tangere velle videbaris, tetigit te manus eius horrendo & confuſibili ulcere, ut fieres præ fœtore intolerabilis, & infeliciſſimè expirares.

*Abſalon. 2. Reg. 18.* In manu Dei eras, ô Abſalon, ideo confixit te juſtitia eius ſuis lanceis, tribus digitis vibratis. Fruſtrà ergo elevabas manus contra Patrem. Malè etiam & vanè inſculpſeras ſepulchro tuo, MANUS ABSALONIS. Quia dum jaces in ſalute Ephraim ſub acervo lapidum ibi meliùs inſcribere poſſumus & veriùs: MANUS DEI PLECTENTIS ABSALONEM. Sed quid mihi cum impiis, cum textus noſter loquatur de juſtis: *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt?*

*Specialiter omnino juſtorum animæ in manu Dei ſunt. Pſal. 30.* Dicamus ergo ulteriùs, ſpecialiter omnino animas juſtorum in manu Dei eſſe, ſive in hac vita, ſive in altera. Immò & omnia ſua in manu Dei reponunt, aut poſita eſſe ſibi congratulantur. Eius voluntati conſignant corpus, animam, vitam, ſtatum, felicitatemque ſuam omnem. Hinc illud Davidis: *In manibus tuis ſortes meæ.* Quaſi dicat: Regnum & diadema, omniſque ſors & felicitas mea, imò, ipſa vita, tempus, æternitaſque mea de manibus ac diſpoſitione tua dependet.

In particulari porrò explicandum nobis eſt, ex ſacris litteris quomodo juſti in manu Dei ſint.

*1. Sicut lutum in manu figuli Hier. 18.* Primò juſti in manu Dei ſunt, ſicut lutum in manu figuli cui quamlibet vult inducit formam. Hoc clarè exprimit Propheta. Cur enim jubetur adire figulum, & conſiderare vaſa eius? Nempè in officina figuli varia ſunt vaſa, pulchra & deformia, antiqua & nova parva & grandia. Quis verò poteſt dicere, iſtud vel iſtud primò frangetur, quandoquidem nova & pulchra, grandia & eximia æquè ſint fractioni obnoxia, ac vetera & deformia, parvaque & obſcura? Rurſus jubetur Propheta convocare ſeniores ad portam fictilem, ubi fragilia hæc & fictilia efformabantur vaſa: ibi laguncularn in petram proiicere monetur, & dicere: *Sic conteram populum iſtum ſicut vas figuli quod non poteſt inſtaurari.* *Hier. 19.* Verum tamen Deus ſuos non conterit, niſi ut reſtauret, & quod antea erat corruptibile, fiat incorruptibile, quodq; erat mortale, ignobile, obſcurum, fiat immortale, nobile, clarum: *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione: ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria: ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute: ſeminatur animale, ſurget corpus ſpirituale.* *E. Cor. 15.* Hæc eſt fides noſtra, & ſpes Chriſtana, in morte catorum leniens dolorem quod antiqui non intelligebant, quia ſepulcra conſpergebant ramis Cypreſſi, quia abſciſſi, nunquam revireſcunt.

*2. Sicut tela in manu textoris.* Secundò, nos ſumus in manu Dei quaſi tela in manu textoris, quam præſcindit quando voluerit: *De mane uſque ad veſperam finies me,* dicebat Rex Ezechias. Et rurſus: *Præciſa eſt velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer ſuccidit me..* Texuntur momenta momentis, intexũtur horę horis, contexuntur menſes menſibus, denique connectuntur anni annis, ut ętas hominis ad ſuam pertingat perfectionem. *Iſai. 38.* Sed ſupremus textor filum abſcindit, dum vix homo cogitat qui texturæ cooperatur ideo, pertimeſcens hanc ſubitam diſciſſionem, dicit: *De mane uſque ad veſperam finies me.* *Iob. 4.*

Non igitur tres Parcæ telam hanc conficiunt; & pro placito abſcindunt, ut fabulari ſunt Poëtæ.

*Clotho tenet fuſum, Lacheſis net, & Atropos occat.*

*Tres digiti Dei rotant fuſum nent & ſcindunt.* Sed tres digiti Dei rotant fuſum, nent, ſcindunt; hoc eſt, ejus potentia, providentia, juſtitia totum iſtud operatur, prout Placet, qui tamen cum ęquitate omnia diſponit, ſive citius, ſive ſeriùs filum præſcindat. Meditemur id ſicut columba, prout Rex Ezechias in lecto ægritudinis meditabatur cum corde ſuo: & ſic agamus, ut tela noſtra ſupremo huic textori fiat utilis accepta? candidam eam efficiamus lixivio pœnitentię & tribulationis concuſſione lacte quoque & aqua gratiæ. Sed Eheu! multi telas aranearum texunt, quæ tandem à vento diſperguntur, & nonniſi ad muſcas captandas ordinantur; immò igni poſtmodum traduntur, cùm ſe eviſcerarit tata vit araneus. O infelix tela, ô maledicta textura, quæ non niſi ignem operitur! Sic texunt ambicioſi, pro honoribus ſe eviſcerantes, avari pro opibus, luxurioſi pro voluptatibus, mundani pro vanitatibus, de quibus Pſaltes: *Tabeſcere feciſti ſicut araneum animam eius, veruntamen fruſtrà conturbatur omnis homo* *Pſ. 38.* Sic ergo vita hominis textura eſt, ſed quandoque utilis, quandoque infelix & inutilis, licet appareat ſubtilis. Accommodè porrò vita aſſimilatur telæ. Quia ſicut telæ fila non eodem tendunt omnia, ſed quædam, recta quædam ſunt tranſverſa: ita & vitæ noſtræ dies quidam recti ſunt, hoc eſt læti, quidam tranſverſi ſunt, hoc eſt, mœſti. Ex adverſis juſtorum etiam vitam contexere ſolet Deus admirabili varietate, ut ait S. Chryſoſt. hom. 8. in Matth.

*3. Sunt juſti in manu Dei, ut lapides in manu artificis. Pſ. 50.* Tertiò, juſti ſunt in manu Dei ſicut lapides in manu artificis, qui tunſionibus & preſſuris expoliri debent, ut ſuis coaptentur locis, & diſponantur permanſuri ſacris ędificiis. De his lapidibus & ędificiis loquebatur Propheta, dum dicit: *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Ieruſalem.* De muris ſc. æterni Ieruſalem, & templi æterni Sion, hic anagoricè eſt ſermo, qui ex lapidibus vivis ac benè ſectis ędificantur, ex lapidibus electis, hoc eſt ex prædeſtinatis. Per providentiam divinam quotidie conquadrantur lapides, ut intrent in ſtructuram ſempiternam. Hoc fit per manus ſummi artificis, & eorum qui ei ſubſerviunt, hoc eſt, eorum qui prædicant verbum Dei, ſic aptãtes animas ad ſtructuram illam templi ęterni. Quotidie ædificatur Ieruſalẽ, inquit S. Aug. in Pſ. 121. & edificabitur uſque in finem ſeculi: ædificari cœpit ab æterno per prædeſtinationem, complebitur

in fine

in fine per glorificationem. Non poteſt autem aptus eſſe illi ædificio lapis, qui hic contuſus preſſusque non fuerit, quia omnes debent conformari lapidi angulari, qui varias ſuſtinuit tunſiones & preſſuras. Quocirca dicebat S. Petrus: [*1.Pet, 2.*] *Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum? & ipſi tamquam lapides vivi ſuper ædificamini &c.* Hic ergo lapides iſti ſecantur, tunduntur, conquadrantur, [*3.Reg.6.*] quia *non eſt auditus malleus aut ſecuris in domo Domini cum ædificaretur*, nec audietur in templo illo æterno, ſed anguſtiæ oblivioni tradentur, & non erit ultra dolor vel clamor. Itaque electi lapides ſic percutiuntur per timorem, poliuntur per amorem, conquadrantur per conſtantiam, poſtmodum diſponuntur ſuis locis æternum permanſuri, nec ulla vi divellendi per manum divinam.

[*4. Iuſti ſunt in manu Dei, ut ovis in manu paſtoris.*] Quartò, ſi quæras ulterius, quomodo juſtorum animæ in manu Dei ſint? Reſpondeo in manu eius eſſe, ſicut oves in manu paſtoris, hoc eſt, in eius directione, ductu, protectione. Ipſe enim eas ſuo nutu dirigit, ad paſcua deducit, ſua dextera protegit, ſua manu in æternum ovile introducit: [*Pſal. 99.*] *Ipſe eſt Dominus Deus noſter, nos autem populus eius, & oves paſcuæ eius.* In quem etiam ſenſum in perſona juſtorum ei dicit Propheta & Rex: [*Pſal. 22.*] *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ, ibi me collocavit:* [*Pſal. 79.*] Et rurſus: *Qui deducis velut ovem Ioſeph.* Ovis timida non habet quo ſe defendat, ſed ſperat ſub manu Paſtoris. Hic eſt Paſtor, ſub cuius manu ſperant animæ juſtorum: ipſe enim fortis & validus, potens eas eruere de ore Leonis, & de manu canis rabidi, ac lupi infernalis. O ergo felices oves, quæ confidunt in manu Domini, cum ſimplicitate, candore, manſuetudine, innocentia incedentes, & illi ſeſe ſubjicientes! Nemo certè eas de manu eius poterit rapere, quia ſignatæ ſunt ab eo ſignaculo hoc indelebili, [*2. Tim. 2.*] *Cognovit Dominus qui ſunt eius*: per electionem & prædeſtinationem æternam ſunt numeratæ: in libro ipſius ſunt aureis litteris deſcriptæ; immò & in manibus, ac corde eius charactere ſunt ſanguineo exaractæ: *In manibus meis deſcripſi te.* [*Iſai. 40.*] Meritò igitur repetimus: *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt.*

[*1. Reg. 25.*] Vtique in manu eius ſunt, & in hac vita, & in altera: *Cuſtodita erit anima tua, ſicut in faſciculo viventium*, dicebat Abigail Davidi. Quare de Davidis anima dixit, nos de iuſti cuiuslibet anima verum eſſe adfirmamus. Propterea hic dicitur: *Non tanget illos tormentum mortis*, hoc eſt, mors eis non erit tormento, nec eos tanget mors ſecunda. Quid ita: Quia cuſtodita eſt anima illorum, ſicut in faſciculo viventium. Mors eis non eſt mors, ſed vita, & immortalitatis janua: non eſt naufragium; ſed portus: non eſt exterminium, ſed patria: non eſt afflictio, ſed requies: *Viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace*; quia finem accipit bellum, pericula, tentationes, hoſtilitates. Oculi inſipientium hoc non agnoſcunt, oculus ſapiens fidei hoc certò certius conſpicatur. Vnicuique ergo juſtorum illud fides ſpesque ſecurè promittit de Deo, quod apud Iob legimus: [*Iob. 5.*] *In ſex tribulationibus liberabit te, in ſeptima non tanget te malum.* Poſt ſex dies huius vitæ anguſtiis & tribulationibus refertæ (de quibus ſuos Dominus quando & quomodo vult, eripit) ſequitur dies ſeptima, dies quietis, & ſabbathiſmus optatiſſimus; in quo nullus amplius labor, aut dolor, nulla amplius tribulatio angit, nullum nos malum tangit. Sed in pace in idipſum dormit & requieſcit, qui in ſpe militavit. Locus ergo pacis eſt, ubi non amplius de galeis agitur aut gladiis, de lanceis aut haſtis, de pulvere & ſudore, de vigiliis aut cruore: ſed de laureis tota mentio eſt, de coronis & palmis, de trophæis æternæ pacis, in illa Ieruſalem ſcilicet, cuius *poſuit Dominus fines pacem* ſine fine. [*Pſal. 147.*]

[*Applicatio*] Noſter defunctus, in manu Domini fuit, tamquam vas luteum in manu: ſed effractum eſt vas, quando volvit figulus, ut poſtea reparet glorioſum: [*Philip. 3.*] *Salvatorem enim expectamus, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.* Hoc ipſe expectat ſepulchro reconditus quoad corpus, dum interim animam inter eius manus liberè & ſuaviter conſignavit per fidem, ſpem in eius bonitate.

Vita eius quaſi tela præciſa eſt à ſupremo textore, & citius quidem quam optarent amici & conſanguinei, prolesque & agnati. Sed novit ille quando præſcindere eam debeat, aut protelare, pro bono noſtro, & benigna ſua in nos voluntate. Parum eſt ſi longa ſit tela vitæ noſtræ, aut brevis, ſi modo candioa ſit, & ſolidè Deo cooperante contexta ex diverſis filis virtutum & meritorum; ex qua nobis fiat cooperimentum candidum, ut non ambulemus nudi. Non qui diu texuit, ſed qui benè contexuit, laudem ſortietur, & laboris ſui fructum.

Fuit & ipſe tamquam lapis in manu artificis, variis tunſionibus & preſſuris ægritudinis probatus & præparatus, quas magna pertulit fortitudine & conſtantia, illud Domino occinens: *Hic ura, hic ſeca, ut in æternum parcas.* [*Auguſtin.*] Ideò piè exiſtimamus, æternis ædificiis jamjam appoſitum eſſe, tamquam lapidem aptum, lavidem vivum, lapidem probatum, & in fundamento fundatum per fidem, ſpem, charitatem.

Denique fuit ipſe ſicut ovis in manu Paſtoris, Sacramentorum ſacris paſcuis benè paſtus ante egreſſum ex hac vita. Ovē ſe ſemper geſſit per obedientiā erga Chriſtum & Eccleſiam, per frequentationem ovilis, per autem attētam ad vocem Poſtoris, per reſignationem ad eius voluntatem cui animam, corpus, vitā, tempus ſuum, & æternitatē, ad extremum uſq; ſpiritū commiſit, ſe ejus Paſtorali & paternæ providentiæ totū cum fiducia relinquens. Quidni igitur ſperem⁹, quod non potuerit quiſpiā

insidia-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

inſidiator ovem illam rapere de manu tanti Paſtoris? Vtique quibus inſidiatur Satan, & in vita, & in morte; ſed ſecura eſt ovis Ioſeph, quæ ſe vel manibus, vel humeris Paſtoris huius voluntate committit, ut auxilio ipſius eruatur de malo, deque omni diſcrimine, & tandem reportetur ad æternum ovile, ubi nullum amplius periculum, nullum occurſus hoſtilis, nullæ inſidiæ. Huc illum pertigiſſe nobis perſuademus, ſi tamen adhuc in via foret, eam adjuvare poſſumus ſubſidiis, hæc eſtque voluntas pii Paſtoris; & hoc ipſum obnixè commendamus &c.

Lect. 6.

*Audivi vocem de cælo dicentem mihi: Scribe, beati mortui, qui in Domino moriuntur &c.*

Apoc. 14.

*Specialiter conſideranda, quæ à Deo ſcribi mandantur.*

QVoties ſacris in Codicibus aliquid ſcribi mandatur à Deo, abſque dubio res eſt ſpeciali conſideratione digna. Non ſine myſterio Iſaiæ mandat Dominus: *Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtylo hominis, velociter ſpolia detrahe, citò prædare.* Non etiam ſine myſtica ſignificatione quippiam ſimile jubetur facere Propheta Abacuc: *Scribe viſum, & explana eum ſuper tabulas, ut percurrat qui legerit eum.* Quid vero ſcribere jubetur: *Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Hęc mandantur ſpecialiter conſcribi, quia incarnationis magnum myſterium volebat Dominus his prænunciari. Non etiam ſine myſterio Chriſtus *ſcribebat digito in terra*, hoſtes confundens ſuos.

*Iſai. 8.*
*Abac. 2.*
*Ioan. 8.*

Sic non poteſt non eſſe graviſſimi momenti, quod Dominus hic à Ioanne Evangeliſta & Propheta voluit ſcribi, voce eum monens cœleſti, Angelumque deſtinans qui eum huiuſce rei commonefaceret: *Audivi*, inquit ipſe, *vocem de cælo dicentem mihi: Scribe, Beati mortui qui in Domino moriuntur &c.* Nempe voluit ſignificare Dominus, hos qui Angelorum officium obeunt, divina hominibus nunciantes, ſalutisque eorum adminiſtros, ſępè auribus plebis debere inſinuare ſonoram hanc vocem è cœlo miſſam; *Beati qui in Domino moriuntur.* Immò & hanc debere ſcribere in intimis fidelium cordium tabulis, quia Ioannis tenent officium evangelizantes populis evangelium æternum. Ad hoc autem tendit evangelica omnis prædicatio, ut in Domino morientes, à ſæculi huius ærumnoſi laboribus tandem requieſcamus, & beatitudinem in evangelio promiſſam conſequamur operibus piis.

Itaque maximi momenti eſt vox iſta, quæ ſi benè ruminetur, totam dirigit vitam noſtram. Navem dirigit vector, non in principio, ſed in fine ſedens; ſimiliter & nos vitæ noſtræ rectè dirigimus curſum, illius attendendo, finem & exitum. Si ſeriò attenderimus ad umbram Occidentis noſtri, dubio procul pertingeremus tandem ad lucem Orientis æterni.

Hæc igitur vox, *Beati mortui qui in Domino moriuntur*, omnibus inſinuanda & inculcanda eſt, cuiuslibet conditionis ſint & ſtatus; Principibꝰ & plebeis, Sapientibus & idiotis, locupletibus & egenis, ut eam ſuis inſcribant cordibus, quia omnes concernit. Omnes enim quam humili, quamve ſublimi conſideant loco, *à reſidente ſuper ſedem glorioſam, uſque ad humiliatum in terra & cinere, ab eo qui utitur hyacintho & portat coronam, uſque ad eum qui operitur lino crudo*, concernit *Mori*, in hoc verò totum conſiſtit *benè mori*, ſive *in Domino mori*. In hoc tota hominis vita, totum ſtudiũ, tota attentio & intentio impendi & volvi deberet, *ſcire mori*, ſive in religione, ſive in ſæculo ſive in coniugio, ſive in ſtatu Eccleſiaſtico, ſive in caſtitate, ſive in viduitate, quis moriatur, parum eſt: ſive nocte, ſive die, ſive domi, ſive in agris, ſive in gremio amicorum, ſive inter manus extraneorum, ſive ſubitò, ſive præmeditatè quis moriatur, parum eſt ſi modò in Domino moriatur. A momento mortis pendet æternitas felix, vel infelix. O momentum! O Æternitas! Totum vitæ volubile tempus ad hoc momẽtum ordinatur. Beatus ergo qui moritur, ſi in Domino moritur. Eccl. 40.

*Quid ſit mori in Domino.*

Sed quid eſt mori in Domino? Certè non aliud, quam mori in fide & gratia Domini, mori in eius obſequio, mori in ſpe & amore: aut, ſi mavis, mori in ſinu Domini, inter brachia Domini, in oſculo Domini. Sic de Moyſe dicitur: *Mortuus eſt Moyſes ſervus Domini, jubente Domino*; ubi quidam legunt, *In oſculo Iehova.* Sicut mater infantulum inter brachia in ſinu ſuo dormire ſinit: deinde facie ad faciẽ ſuaviter applicita, in lectulo collocat: Si quodammodo Deus animam piè morientem inter brachia ſua ſuſcipit, & oſculo ſancto eam impertiens, in ſinu beatitudinis ſuaviter collocat. Deut. 34.

Si ergò *pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius*, ſicut & *mors peccatorum peſſima*. Quare pretioſa mors juſtorum? Quia exoptabilis & planè amabilis eſt in requie expectata, in viſione inchoanda, in æternitatis ſecuritate. Ergo beati, qui in Domino moriuntur fide & gratia. Mors vero peccatorum peſſima, in mundi derelictione, in corporis & animæ violenta ſeparatione, in ſimplici ignis & vermis æterna contritione: Sic infelices undique, qui in peccato moriuntur, & millenis lachrymis deplorandi. Quapropter & ipſi improbi optant: *Moriatur anima mea morte iuſtorum, & fiant noviſſima mea illorum ſimilia* Sic enim dicebat impius Balaam Felix Franciſcus in Domino moriens & dicens. *Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo.* Felix ſanctus Ludovicus, manibus in modum crucis conformatis, dicens: *In conſpectu Angelorum pſallam tibi, adorabo ad templum, ſanctum tuum.* Felix Aletha mater ſancti Bernardi, ſignans ſe cruce in extremis & dicens: *Per crucem & paſſionem tuam libera me Domine.* Et ſic de aliis. E contra, infelix dives in purpura moriens, ſepeliendus in inferno Infelix Antiochus. *Reminiſcor. heu, malorum in Ieruſalem &c.* Infelix Chriſaurius, poſtulans inducias uſque manè, & ſic de aliis extra gratiam Chriſti morientibus.

Pſal. 115. Pſal. 33. Num. 23. Pſal. 141. Pſ. 137.

Sed

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Qui in Domino mori ſoleant Reſp.*

Sed quæres, quinam ſoliti ſint in Domino mori? Reſpondeo, vix alij, quam illi qui in Domino vixerunt. Non moritur Romæ, qui Romæ nunquam fuit. Non moritur in Oriente qui ſemper fuit in Occidente. Qui ſemper fuit in tenebris, non moritur, in luce. Igitur, qui vult in Domino mori; diſcat vivere in Domino, vitam impendat eius obſequio. Alioqui qui vixit in peccato, ſolet mori & in peccato, & ſepeliri quoad animam in inferno. Qualis vita finis ita: qualis pannus, talis ferè & fimbria: *Hac animadverſione percutitur peccator, ut moriens obliviſcatur ſui cum viveret, oblitus eſt Dei,* ait S. Aug. *Malè mori times, & malè vivere non times? Diſce bene vivere, & diſces benè mori. Vix malè moritur qui benè vixerit, vix benè moritur qui malè vixerit,* ait idem lib. de Doct. Chriſt.

*Quis ſpiritus à laboribus requieſcere iubeat.*

Cæterum his qui in Domino moriuntur: *Amodò iã dicit ſpiritus, ut requieſcãt à laboribus ſuis.* Quis ſpiritus hoc eis dicit? Inprimis Angelus cuſtos, qui totius vitæ comes duxq; fuit. Ipſe enim in morte ſolamen animæ & lumen infundit, certamq; ſpem quietis futuræ ei repræſentat, ut ad agonem ultimum fortiter, & perſeveranter ſuſtinendum accendat. Vlterius Spiritus ſanctus hoc ipſum dum dicit, Spiritus ille qui Paraclitus dicitur, quia Conſolator luctantium, quique hoc titulo inſignitur: *In labore requies in æſtu temperies, in fletu ſolatium.* Denique, ſpiritus ille interior, teſtimonium tunc reddit ſpiritui noſtro, quod ſimus Filij Dei, *Quod ſi filii & hæredes.* Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, cui tunc compatimur. *Rom. 8.*

Hoc eſt teſtimonium quod à ſpiritu acceperat B. Petrus Alacantara, qui in fine decantabat. *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus:* Hoc idem teſtimonium à ſpiritu acceperat S. Maria Ogniaca, quæ ancillæ ſuæ, cui nomen erat Clementia, dicebat: *Ibimus, ibimus, ô Clementia, in ſancta ſanctorum. Hoc cœlitus audivi* Sed quid eſt *In ſancta ſanctorum,* interrogabat ipſa Maria, quæ hanc vocem perceperat? Rem intelligebat per ſpiritum, quia his verbis prolatis ſpiritu rapiebatur, quamvis Latinæ dictionis ignara, eam non videretur ſatis ſibi aſſequi cogitatione. Denique, ſimile teſtimonium à ſpiritu habebat leproſus quidam, qui defluentibus tabe carnibus ſuis putidis ſuaviter canebat & dicebat: *Inter me & Deum non niſi luteus paries intermediat, hoc eſt caro mea putida, & quia hic paries iam diſſolvitur videbo Deum meum, ac in pace in idipſum dormiam & requieſcam à laboribus meis ideò exulto in medius doloribus.* Sic & alius quiſpiam animam agens, ex eodem interiori teſtimonio bonæ conſcientiæ non aliud dixit: *Cum dederit dilectus ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini.* *Pſal. 121.* *Pſ. 126.*

*Cur à laboribus requieſcere ſpiritus iubeat*

Ideo vero dicit ſpiritus tuus, *ut requieſcant à laboribus ſuis* quia vita hominis nonniſi eſt *Dies mercenarii* laborantis. An aliud eſt hominis vita quam labor? An non homo *natus ad laborem ſicut avis ad volatum?* Vidi omnia quæ ſub Sole ſunt, & *omnia labor & afflictio ſpiritus,* dicebat Salomon. Vnus honoribus inhiat cum grandi labore, & laſſatur; ſimilisq; eſt puero qui cum ſudore inſequitur plumam volantem, ut eam capeſſat, ut tandem eam non aſſequitur, quia evolat & diſparet. Non enim huic abſimiles ſunt ambitioſi. Alius opibus colligendis inſudat, & ignorat cui congregat ea, quia *neſcit quem hæredem ſit habiturus.* Nec abſimilis eſt equo adornata, qui auri fert onera, tandemque onere veſperi depoſito, nonniſi laſſitudinem & vulnera prægravatus retinet. Alius gemit ſub jugo & pondere egeſtatis, & fruſtra laborat ut illam à ſe dimoveat. *Iob. 5.* *Eccli, 1.* *Eccleſ. 2.*

*Quam inutiles quorundam labores.*

Sic varij ſunt hominum labores, & ut plurimum inutiles. Quia quidam ut aranei eviſcerant ſe ad texturam futilem, imò ordiuntur ſibi telam confuſionis æternæ: *Laboraverunt ut iniquè agerent,* ait quodam loco Propheta Hi de labore in laborem tranſeunt, ſanè infeliciter. Quidam ut talpæ fodicantes, aliquid terræ congerunt: & hoc quoque parum utiliter, quantumvis laborioſè. Quidam denique ut porci in ſordibus ſeſe cum ſudore volutant, fœdumque ea in re perpetiuntur laborem & damnoſum. Sic fere laborant homines ſæculi in vita, magis autem in morte, ſi pietatem haud ſectati fuerint. *Ierem. 9.*

*Iuſti in morte à laboribus requieſcere iubentur.*

At vero ſi de morte piorum agimus, hi in gloriam Dei laboraverunt, & ideo ſibi fructuoſe. Propterea in morte eius dicitur, *ut requieſcant à laboribus ſuis.* Mors enim eis eſt initium quietis & pacis, ingreſſus vitæ, janua immortalitatis, ſcala gloriæ, lectus ſecuritatis, ſinus repauſationis Mors impiorum è contra initium eſt novi & æterni doloris in rota illa & ſaxo Syſiphi, in mala æterna, in qua de cruciatu in cruciatum, de pœna in pœnam, de labore in laborem tranſeunt. O dolor, ô labor infelix, ô cruciatus ſine ſpe quietis!

*Quomodo opera iuſtorum ſequãtur illos.*

Quod ſi quæras, quare dicitur his qui in Domino moriuntur, ut requieſcant à laboribus ſuis? Ratio ſubditur: *Opera enim illorum ſequuntur illos.* Præceſſerunt ut viam ſecuram pararent, ſequuntur ut ab hoſte tueantur eos quibus via parata eſt. Præceſſerunt quaſi proviſio præmiſſa in locum quo tẽdebat, ſequuntur modo tanquam cibus oportune apparatus: *Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas & poſt multa tempora invenies illum.* Præceſſerat ad judicem, nunc ibi ſuos defundunt, & cauſam evincunt, tanquam certi teſtes & advocati efficaces. Mala quoque opera ſequuntur malos, imo & præcedunt ad iudicium, maxime dum ſunt manifeſta Hoc aſſerit Apoſtolus 1. ad Tim 5. *Quorundam hominum peccata manifeſta ſunt, præcedentia ad iudicium, quoſdam autem ſubſequuntur* Quid ita, Quia teſte Sapiente: *In fine hominis denudatio operum eius.* *Eccl. 11.*

Denique adverte, quod opera tunc ſequuntur non opes, non honores, non ſceptra aut diademata, non amici, non voluptates, non quippiam ex his quæ in hoc ſæculo erant amabilia. Quia de ho-

*Pſal. 48.* mine huius ſæculi evanida bona ſectante ſcriptum eſt: *Cum interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius.* Sola pietas & miſericordia cum operibus bonis comes eſt defunctorum, ait S. Ambroſius.

*Applicatio. In exequiis Domicillæ Annæ Goblet Fundatricis Recollectinarum in oppido Couvinēſi.*

BEetam, & in Domino fœlici morte mortuam, confidenter dicimus eam cui nunc parentamus. Quia in Domino ſemper vixit, in fide & amore eius totam vitam ei conſecravit, eiuſque obſequio impendit. Sine macula conſervans, exemplo pietatis cæteris præfulſit. Cum autem omne ævum ſuum per pietatis exercitia in Dei gloriam impenderit, ultimam tamen vitæ ſuæ partem ei ſpecialiter dedicare ſtuduit, *adſpiciens in auctorem fidei & conſummatorem Ieſum*, piorum remuneratorem operum. Propterea etiam veſtem adſumpſit Ordinis S. Franciſci, eiuſque tertium Ordinem eſt profeſſa, adſtringens ſe ſpeciali voto ad Dei obſervandum mandata. Hunc ordinem ita coluit, ut magno zelo ad divinæ gloriæ incrementum, introduxerit hunc in locum Sanctimoniales informatas Tertij Ordinis de Pœnitentia, quæ clauſtro arcte ſe conſtringentes, contemplationi & pœnitentiæ impenſe vacant, divinaſque laudes nocte dieque pie perſolvunt.

*Pſ. 112.* Quapropter de ea poſſumus dicere verum eſſe illud Regij Vatis: *Qui habitare facit ſterilem in domo matrem filiorum lætantem.* Nempe non habuit defuncta noſtra in coniugio ſæculi proles, ita diſponente divina providentia, quia novit quæ unicuique ſunt congrua. Providit ei tamen ſpirituales proles, tot ſcilicet filias, quot Domino ſervient impoſterum hoc in loco & fundo, quem eis ad inhabitandum ipſa dedit. Erit ergo mater multarum prolium lætabunda in Domino; illudque Iſaiæ adimplebitur in ea: *Dabo ei in domo mea, & in muris meis locum & nomen melius à filiis & filiabus, nomen ſempiternum dabo ei quod non peribit.* *Iſaiæ 56.* Hoc ſcilicet promeruit, obſequium Domini fideliter & cum zelo promovendo, & pro illo laborando jugiter. Et nunquid nunc *Requieſcit à laboribus ſuis?* Laborioſa ſemper fuit, otioſa nunquam: operoſe & prudenter familiam ſuam adminiſtravit, domeſticos ad laborem excitans iuxta cuiuſque miniſterium. Ac poſtmodum in ægritudinem prolixam incidens, magnis perfuncta eſt laboribus & doloribus; hoſque eximia tulit patientia duobus pene annis, cum reſignatione perfecta ad divinam voluntatem. Sic probata fuit à domino, ut nihil in ea expiandum remaneret purgatoriis flammis; crucifixaque fuit cum Chriſto in lectulo ægritudinis, vivens in eius vulneribus & doloribus. Quod ergo lima ferro, flagellum grano fornax auro, hoc ei fuit acris morbi tribulatio. Iam requieſcit luctata diu ſed eluctata & victrix, quia labores omnes & dolores, omneſque agones ſuperavit, tandemque ſuavi morte in ſinu Domini inter brachia Salvatoris, ac in eius oſculo animam reddidit, in lecto quietis æternæ collocandam.

*Opera eius ſequuntur illam.* Quæ opera? Vtique opera pietatis erga Deum, per frequentem peccatorum confeſſionem, & per ſacram ſynaxim ac communionem. Exemplo pietatis alijs præfulſit erga Deum, erga beatiſſimam Virginem & Sponſum eius Ioſephum, omneſque Cœlites, Miſſam quotidie audiens, Sodalitium Roſarij frequentans, prædicationem Verbi Dei attentiſſimâ & lubentiſſima aure, quaſi ex Chriſti ore, excipiens;

Rurſus dico, *Opera eius ſequuntur illam.* Quæ opera; Vtique opera charitatis erga proximum, opera miſericordiæ erga cœtum egenorum. Norunt ægri pauperes eius miſericordiam & ſubſidiū, pupilli & viduæ eius opitulantem manum, ideoque deplorant eam tanquam bonam erga ſe matrem. Quod dicebant quædam de Thabita, oſtendentes veſtes; hoc etiam iſtæ dicere poſſunt de ea, *Hæc erat plena operibus bonis & eleemoſynis, quas faciebat* *Act. 9.* Neque ſolùm in inopes gregarios eleëmoſynas ſuas conferebat, ſed etiam Templis Monaſteriis, locisque ſacris non deerat. Diligebat enim decorem domus Dei, & ſua lubens ad hunc decorem impertiebat, prout adhuc multa donaria variis in templis teſtimonium ferunt.

Omnia itaque opera iſta ſequuntur illam cum bono teſtimonio apud Iudicem, coronamque ei præparant æternam, & æternæ quietis adornatam manſionem. Quæ enim hic vixit in Domino, in illo quoque confidenter mortua eſt ut vivat in æternum & laudet eum in ſæcula ſæculorum.

*Expectans expectavi Dominum, & intendit mihi eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis*, Pſal. 39. LECT. 7.

*Profunere alicuius Sacerdotis.*

NOn multis mihi ad vos verbis opus: ſpectaculum iſtud doloroſum & lugubre, ſat efficaciter loquitur, ſi aures cordis vultis aperire. Attendite faciem illam antea venerandam & rubicundam, nunc macie detritam pallidam, & ad corruptionem tendentem. Attendite oculos, qui olim clari & fulgidi cœlum & ſtellas, contemplabantur: nunc plane obſcuri ſunt, in oſſea foſſa profundi, & tenebroſe reconditi. Attendite os, quod ſæpe ad divinas fuit laudes apertum, ſæpe ſacratiſſimum Domini corpus conſecravit cum pietate: nunc clauſum conſpicitur, aut ſi apertum eſt non niſi id ad pavorem adſpicientium. Attendite & manus, quæ contrectaverunt adeo frequenter Corpus Chriſti, nunc impotentes ſunt. Aures quoque illæ, quæ diligenter confeſſionibus vacarunt, & verbo Dei patuerunt, iam obſeratæ ſunt. Denique totum corpus, quod paulo animarum, erat inſtrumentum promovendæ antea gloriæ Dei, nunc ad corruptionem ſeſe diſponens, fœtorem incipit exhalare.

Quid vero omnia iſta aliud nobis eloquuntur, quam

**Eccli, 38:** quam illud: *Memento iudicii mei, ſic erit & tuum,* &c. Quid rurſus aliud, quam illud: *Putredini dixi,*
**Iob. 17.** *Pater meus es, mater mea & ſoror mea vermibus?* Hoc ſanè omnes concernit, ſed vos maximè alloquitur, ô Sacerdotes! Nec dignitas Sacerdotij, nec vnctio chriſmatis ſacri, nec character immortalis animi, nec corona verticis, ſymbolum ſtatus eminentis, potuit eum eximere à morte, nec eximet à putredine & corruptione. Hoc attendite. Interim paucis alloqui eum licet, & conceptum de eius morte mœrorem exprimere, ac dicere: Dolemus ſuper te, ô Frater! quia Sacerdotij participatione, & converſationis piæ coniunctione Fratres eramus, in vinculo Chriſti invicem colligati. Sed vtinam ſciremus nunc quo in ſtatu verſetur anima tua! Si ſciremus eam æternis frui gaudijs, non ſolùm gauderemus, ſed etiam certatim raperemus de ſacris oſſibus tuis pignora ſacra, apud nos recondenda & honore afficienda: ita vt nec ſecurè hoc emortuum corpus tuum in medio templi & populi ſpectandum proponeretur, quia irruentis plebis devotio id non pateretur, ſicut in quorundam Sanctorum corporibus ſæpè experientia docuit. Quod ſi è contra certò ſciremus, te in flammis agere, & cum ardoribus ſempiternis colluctari, eijceremus cadauer iſtud foras ſepulturâ aſini ſepeliendum; nec diuinum ſuper eo officium proſequeremur, quia nullatenus tibi proficere poſſet iſtud noſtrum pietatis obſequium, niſi forſan ad pœnæ tuæ augmentum. Sed quia incerti ſumus (quod iuſtè nobis occultum voluit Deus, ſicut & de pleriſque morientibus) num adhuc expiatorijs in loco inferiori ſubiaceas pœnis & tormentis, ideò, vt, quoad eius fieri poteſt, opitulatricem tibi manum porrigamus, officia hæc ſacra pro te precantes perſoluimus, vt in ſatisfactionem pro te ſatis patiente Deo offerimus. Eſt interim nobis pia fiducia, non fruſtranea fuiſſe tot ſacrificia, à te, dum adhuc viueres, diligenter & devota mente oblata; nec tot miniſteria ſacra cum zelo animarum peracta, in audiendis confeſſionibus, in viſitandis ægris, in diſpenſandis Sacramentis, in conſolandis afflictis, in inſtruendis paruulis. Denique, quis credat, tot laudis diuinæ officia piè à te perſoluta, tot bona opera, tot exempla pietatis erga Deum, erga IESUM, erga Virginem, erga Sanctos, mercede adhuc carere apud Deum remuneratorem omnium operum noſtrorum, quandoquidem nec calix aquæ frigidæ abeat ſine remuneratione? *Illi dabit Dominus fontem vitæ, qui dederit calicem aquæ frigidæ*, inquit S. Chryſologus, conformiter Chriſto, Matth. 24. Tot ergò piorum operum & meritorum te fructum nunc ſugere prudenter opinamur, & confidimus: & hoc ipſum apud nos confirmat illa, quam ſpectauimus, tua mors, nonniſi ſpirans pietatem, & apud omnes ſpargens bonum odorem.

Cæterùm, pij Auditores, dum decantaremus officium pro ipſo defunctorum, more Eccleſiæ conſueto; viſus eſt mihi illud Pſalmi animo & memoriæ meæ inſtillare, vobis ex eius nunc nomine proponendum, & paucis verbis exponendum: *Expe-* **Pſ. 39.**
*ctans expectaui Dominum, & intendit mihi: exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis.* Hanc ſanè ſententiam dicemus optimè ei convenire, ſi eius in ægritudine prolixa diſpoſitionem, quantum ad corpus & animum, in memoriam revocemus. Etenim patienter exſpectauit Dominum, eiusque ſanctam voluntatem, non ſolùm per aliquot dies, aut hebdomadas, aut menſes, ſed etiam per annos, implorans eius miſericordiam, vt ſibi foret propitia inter acerbiſſimos, quibus conficiebatur, dolores: Sciebat Dominum non eſſe in promiſſis fallacem, qui de afflicto quolibet in ſe fiduciam iactante dixit: *Cum ipſo ſum in tribulatio-* **Pſ. 96.**
*ne.* Et licet quandoque differre videatur auxilium, *non tamen deſpicit petentem, ſed exercet patientem,* vt loquitur S. Auguſtinus.

Tandem ergò intendit illi, & exaudiuit, *& edu-* **Præſens**
*xit de lacu miſeriæ, & de luto fæcis.* Quid eſt lacus **vita eſt**
miſeriæ, niſi hæc vita ærumnis & calamitatibus **miſeriæ**
plena, ita vt vix fundum invenias? An non iſtud eſt **lacus.**
cantatiſſimum: *Homo natus de muliere, breui vi-* **Iob. 14.**
*uens tempore, repletur multis miſeriis?* An non inter titulos Hominis honorificos, & hunc Philoſophus
appendit: *Homo eſt imbecillitatis exemplum, corru-* **Hominis**
*ptionis ſpeculum, calamitatis trutina?* Quis dies, aut **tituli.**
quænam hora pertranſit ſine aliqua miſeria? Rota eſt miſeriarum vita hæc humana. In lacu profundo rotatur homo de miſeria in miſeriam, de ærumna in ærumnam: quæ quidem quotidie recrudeſcit, nec finem invenit, niſi quando intendit ille, & exaudit, qui poteſt educere de lacu miſeriæ, & de luto fæcis. Audi & de hac re Sapientem: *Occupatio* **Eccl. 40.**
*magna creata eſt hominibus; & iugum graue ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium.* Poſtmodum ibi Sapiens ſpecificat nonnullas miſerias interiores, quibus homo ſeſe obnoxium reddit, dum addit: *Cogitationes eorum & timores cordis, adinventio expectationis, zelus, tumultus, fluctuatio, & timor mortis* &c. Cùm igitur in tot diuerſis paſſionibus fluctuet vita hominum, meritò *Lacus miſeriæ, & Locus ærumnæ* dicitur. Statuat ſibi homo ſpeculam, iuxta monitum Prophetæ Hieremiæ, & circumſpiciat circa ſe amaritudines. Certè, & intus, & foris, & longè, & propè, aliquam reperiet: quaſi in lacu ſe agere deprehendet marino, vbi omnis aqua ſalſa eſt & turbida, quia reperiet omne ſolatium permixtum miſeria.

Neque ſolum *in lacu miſeriæ* agere cenſetur ho- **Quid ſit**
mo, quamdiu viuit, ſed etiam *in luto fæcis.* Quid a- **hominem**
liud eſt corpus noſtrum, cui anima colligatur, **viuere in**
quam lutum fæcis? Hoc ſatis comprobat, corru- **luto fæcis.**
ptio, fœtor, ſudor, ægritudo putida, cui obnoxium eſt continuò. Quod ſi animum ſpectes, an non lutum fæcis, concupiſcentiæ variæ quibus ſcatet? An non & lutum fæcis, occaſiones variæ peccan-

di, quibus ita implicatur homo, vt ſeſe extricare non valeat? Sicut qui in luto paluſtri ambulat, ſi vnum pedem extrahat, altero tamen rurſus infigitur, & ita profunde, vt ſe non valeat eruere: ſic ſæpè homini contingit in hoc ſæculo, vt dum vnam euitare occaſionem nititur, in alteram incidat & cogatur dicere: *Infixus ſum in limo profundi.* Qui ergò ab omnibus his implicamentis & peccandi occaſionibus per mortem fœlicem eripitur, meritò poteſt dicere: *Eduxi me de lacu miſeria, & de luto facis.* An non de hoc luto educi exoptat Apoſtolus, dum exclamabat: *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius* &c. *Video aliam legem in membris meis, captiuantem me in lege peccati.* Ecce lutum fæcis, ex quo vix ſe extricare poterat Apoſtolus.

*Pſal. 68.* *Pſal. 88.* *Rom. 7.*

Felix igitur, qui dicere poterat de Domino: *Eduxit me de luto facis. Statuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos.* Quænam verò eſt illa petra, ſuper cuius ſoliditate debent figi pedes egredientium de huius ſæculi luto? Dicamus cum Apoſtolo, *Petra eſt Chriſtus.* Ipſe eſt qui firmat & dirigit greſſus animæ, parantis ſe ad egreſſum ex hoc lacu miſericordiæ. Pedes animæ ſunt eius affectus, illi ponendi ſunt in petra, in Chriſto & vulneribus eius collocandi: ibi tuti erunt, & rectè procedent. Imò pedes iſti lauandi ſunt in riuis oleij, qui de hac Petra promanant, de qua olim dicebat Iob: *Quis mihi det, vt ſim iuxta menſes priſtinos: quando petra fundebat mihi riuos olei, & lauabam pedes meos butyro?* Vnctio & pinguedo ſpiritualis defluit de petra iſta myſtica, tum ad lauandum affectus animæ, tum ad eos confortandos, tum ad eos dirigendos in viam pacis & æternitatis in egreſſu ex hac vita. Ideò ergo felicem dicimus eum, qui dicere poteſt: *Statuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos.* Feliciſſimus autem eſt, qui adijcere poteſt & illud: *Immiſit in os meum canticum nouum, carmen Deo noſtro.*

*Pſal. 39.* *1. Cor 10.* *Pedes animæ ſũt eius affectus.* *Iob. 29.*

Quod eſt illud canticum nouum, & carmen Deo? Vtique canticum eſt æternitatis beatæ; quod ſemper recens eſt, ſemper nouum, ſemper ita delectans & iucundum, quaſi primum inchoaretur. Nunquam etenim inueteraſcit, nunquam faſtidium parit, nunquam deficit, aut minus ſapit per æterna ſæcula repetitum: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te:* cantico vtique illo nouo, & carmine altiſono, quod præconium æternum faciet reſonare Deo noſtro, poſt lamenta pœnitentiæ in hoc ſæculo.

*Pſal. 83.*

*Applicatio.*

CONcludo, & rurſus dico, nos non vanam ſpem concipere, de hoc noſtro Conſacerdote defuncto. Speramus vtique, quandoquidem diuinas laudes devota mente, & attentione frequentauit & decantauit in hac Eccleſia & Congregatione, quod nunc canticum nouum concinat in monte Sion & Eccleſia triumphante, in ſequela Agni. Dirupit Dominus vincula eius per mortem, nunc perfectius poterit ſacrificare Domino hoſtiam laudis, hoſtiam iubilationis, & holocauſtum amoris, *in atriis domus Domini, in medio tui Ieruſalem.* Quidni hoc ſperemus, quandoquidem & de eo dicere illud poſſimus, quod in hoc ipſo Pſalmo ſequitur: *Beatus vir, cuius eſt nomen Domini ſpes eius, & non reſpexit in vanitates & inſanias falſas?* Profectò in nomine Domini, in quo ſolo eſt ſalus, iugiter ſperauit, ſiue in vita, ſiue in morbi acrimonia, ſiue in mortis agonia: in illum animi totum fixit intuitum, qui poterat ſtatuere ſupra petram pedes ſuos, & dirigere greſſus ſuos in hoc extremo itinere, quod non eſt ſine periculis & diſcrimine. Atque etiam non reſpexit in vanitates & inſanias falſas huius ſæculi, quoad vixit. In adoleſcentia & iuuentute litteris diligentem operam nauauit, ac poſtmodum Sacerdotio initiatus pietatem profeſſioni & ſtatui ſuo correſpondentem adamauit, & publicè priuatimqúe exhibuit. Non ſecutus eſt diſſolutorum hominum ſocietates, non ſympoſia, aut pocula, non ſuperbiam, aut vanitates, non pecuniam ſectatus eſt & opes: ſed modeſtus, humilis, ſobrius, caſtusque fuit & pius.

*In funere D. Iacobi Guyo pii Sacerdotis.*

Memor officij ſui & ordinis, ſecernebat ſe à frequentia hominum, & in conclauis ſui ſolitudine, vel orationi incumbebat, vel lectioni: illum vel audiens, vel alloquens, qui ducit in ſolitudinem, & ibi lactat, & loquitur pacem & ſuper eos, qui conuertuntur ad cor. Proptorea igitur beatum eum pronunciamus, & ſperamus, quod de lacu miſeriæ eductum Dominus noua corona vltra Sacerdotij coronam coronarit, quodqúe immiſerit in os eius canticum nouum, & carmen æternum &c.

*LECT. 8.*

**Ego dixi, Dii eſtis, Filii Excelſi omnes, &c.**
**Pſalm. 81.**

*Profunere alicuius Sacerdotis aut Paſtoris.*

NIhil frequentiùs vident homines, nihil interim citiùs obliuiſci videntur, quam mortem. Illius tamen memoria deberet profundè imprimi mortalium omnium animis, ſed maximè Sacerdotium. Etenim propterea ipſi nigris veſtiri iubentur, vt quaſi veſtem lugubrem continuò circumferentes, meminerint tenebroſi temporis. Ideò quoque quotidie ſingulas perſoluentes Horas, concludunt per illum verſiculum: *Fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace*, vt ſicut mortuorum, ſic & mortis ſuæ nunquam memoriam deponant. Sed & in ſacrificio Miſſæ rememorant iugiter ſupremi Sacerdotis Chriſti mortem, vt illi tandem commoriantur. Denique pellibus mortuis adornati procedunt in Eccleſijs Canonici, tanquam filij Adæ, vt mortis non ſint immemores; omnesque Sacerdotes bireto vtuntur quadrato, non ſolùm ad ſignificandum quatuor partes crucis; ſed etiam ad refricandam quatuor nouiſſimorum memoriam.

Huiuſce rei etiam moneri videntur ſpecialiter à Domino,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*Pſ. 81.* Domino per Pſalmographum: *Ego dixi Dij eſtis, & filij Excelſi omnes. Vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut vnus de Principibus cadetis.* *Quomodo Sacerdotes Dii dicantur.* Quid aliud ſignificat illud, *Dixi, Dij eſtis*, niſi poteſtatem & dignitatem ſacerdotij: Quaſi dicat: Vos vices meas obitis, diurnamque poteſtatem participatis, extendentem ſe ſuper cœlum, ſuper infernum, ſuper elementa, ſuper panem & vinum, denique & ſuper homines, quos tanquam Dij iudicatis. *Et filii Excelſi.* Quid rurſus ſignificet illud: *Vos filij Excelſi omnes*, niſi iterum eiuſdem ſacerdotij præeminentiam & prærogatiuam? Sunt etenim Sacerdotes filij Excelſi, ſiue filij Altiſſimi, & quidem velut primogeniti, *Sũt quaſi Primogeniti.* cæteris præpoſiti, vt eorum curam gerant, ſpecialiter electi & dilecti. Vnde de vnoquoque illorum illud verificari poteſt, quod de Ruben olim dictum fuit: *Gen. 49.* *Primogenitus meus; prior in donis, maior in imperio.*

In huius rei figuram in lege naturæ Sacerdotium annexum erat Primogenituræ, veſteque ſpeciali & Sacerdotali donabantur Primogeniti, ſpecialiter à Patre benedicti, vt alios benedicerent, atque inter eos honorem acciperent ac dominium, hæreditatemque primariam. *Gen. 27.* *Eſto Dominus fratrum tuorum, incuruentur ante te filii matris tuæ. Qui tibi benedixerit, ſit benedictus.* Hoc dicebat Iſaac benedicens Iacob, ad quem ius primogenituræ translatum erat. Hæc dico in figura contingebant antiquis, & antiquum ſacerdotium exornabant: eadem autem priuilegia ſacerdotio, Sacerdotibusque nouæ legis multò excellentius conueniunt, quia verè ipſi ſunt filij Altiſſimi, & filij primogeniti inſtar Angelorum, munus obeuntes eorum.

Sed nunquid hi Tituli eos in ſuperbiam erigere, animosque eorum tumidos reddere valent? immò magis eos debent humiliare. Sequitur enim è veſtigio: *Pſal. 81.* *Vos autem ſicut homines moriemini.* Quod perinde eſt, ac ſi diceretur, Non obſtante tanto fauore, tanta dignitate & poteſtate, mors à vobis ſubeunda eſt. Illi obnoxij eſtis ſicut homines quilibet, ſicut filij hominum imbecilles, non minus quam viliſſimus quilibet de plebe. Vobis equidem & illud æquè ac alijs conuenit: *Pſ. 143.* *Quid eſt homo, quia innotuiſti ei, aut filius hominis, quia reputas eum? Homo vanitati ſimilis factus eſt, dies eius ſicut vmbra prætereunt.* Nonnulli ſic legunt: *Quid eſt Enos?* Hoc eſt, homo miſer, infirmus, fragilis, circumdatus ærumnis. Sicut de cæteris Mortalibus, ſic & de Sacerdotibus hoc verum eſt. Nam & de illis verum eſt, quod hic dicitur: *Sicut homines moriemini*, ſiue, vt altera lectio habet: *Sicut Adam moriemini.* Vos filij eius eſtis, ſicque eius legi, eiusque graui iugo ſubditi, ad eius ſudores & ærumnas condemnati, in eius exilio conſortes effecti, pellibus mortuis ſicut ipſe veſtiti, fami, ſiti, frigori, calori, infirmitati & ægritudini obnoxij, ac tandem morti, tumuloque & putredini. Nec ſacerdotalis vnctio, nec poteſtas ſupra cœlum, aut infernum, nec alios iudicandi auctoritas, vos à morte ac fœtore ſepulchri poterit liberare. Nolite igitur ſuperbire, aut alta ſapere, ſed humilibus conſentire, nec tam verticem coronatum, quam pedes veſtros luteos reſpicite.

Hoc eſt decretum immobile: *Sicut homines moriemini.* *Strictior à Sacerdotibus ratio exigetur.* Ideò vigilandum, & nullatenus indormiendum, quia ſtrictior à vobis repetenda eſt ratio, quam ab alijs. In bilance appendendi eſtis, & quidem in pondere Sanctuarij. Videndum interim, ne de vobis illud verificari poſſit: *Inventus es minus habens.* *Dan. 5.* O quam indignum, ſi cum Eſau dicere vos tunc oporteat: *En morior, quid mihi proderunt primogenita mea?* *Gen. 25.* Non proderunt: immò multum oberunt, ſi minus (quam vocatio & profeſſio eorum, qui à Deo ſelecti & coronati ſunt, requirit) reperiatur in vobis, dum de extrema agitur hora & ſententia. Nec enim pauca tunc requirenda ſunt. Omnia oneri erunt, quæ antea honori. Caſula & Dalmatica cum honore antea præfulgens, tunc grauis erit, & fors caliginoſa, quando de ea in ſacroſanctis Myſterijs geſtata, rationem reddere neceſſe erit, Calix & Breuiarium, Stola & Manipulus, de quibus ornari viſum eſt ad tempus, tunc obſcura apparebunt, ſi non cum ea qua decet pietate & puritate his vſi fuerimus. Vnicuique ergò illud alta mente conſiderandum, dum tempus eſt. *Stabo ſuper cuſtodiam meam, & figam gradum ſuper munitionem meam, & videbo quid reſponſurus ſim ad arguentem me.* *Abac. 2.* Verè plura arguenda erunt, quam exiſtimamus, quia oculus Iudicis perſpicax eſt, & poſtmodum vindex.

Quapropter vnumquemque è Chriſtianis, ſed maximè è Sacerdotibus, monere poſſumus his verbis: *Eccli. 17.* *Cognoſce iuſtitias & iudicia Dei, & ſta in ſorte propoſitionis & orationis Altiſſimi Dei. In partes vade ſæculi ſancti, cum viuis & dantibus confeſſionem Deo. Non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere. A mortuo quaſi nihil perit confeſſio. Confiteberis viuens, viuus & ſanus confiteberis, & laudabis Deum & gloriaberis in miſerationibus illius.* Hoc quidem omnes concernit tam coniugatos, quam virgines, aut viduas; ſed maximè Sacerdotes. Quia idem eſt, ac ſi vnicuique dicatur: Conſtanter perſeuera in ſorte ac vocatione tua. Ora Altiſſimum, vt dignè illa vitam componas, & te ſemper ipſe feliciter ſuperno auxilio dirigat. Sic eius ope enitere, vt pars ſæculi ſancti, hoc eſt, gloria cœleſtis, in ſortem tibi obtingat. Magna tibi fœlicitas, ſi cum viuis, cum Beatis, tam hominibus, quam Angelis, poſſis confiteri & collaudare, Deum æterno in cœlis præconio, & ſub Sole inchoatam hic laudem complere ſupra Solem in perenni Deitatis ſolio.

Hoc poſtremò dicendum nobis reſtat, quod & Sacerdotes, vtpote in ſublimi conſtitutos concernit: *Sicut vnus de Principibus cadetis.* Qui ſtare ſe putat videat ne cadat. Sicut vnus de Principibus) hoc eſt, ſicut vnus de Angelis & ſupernis illis ſpiritibus, qui Principatum primitùs obtinuerunt, &

deturbati ſunt in exterminium æternum) cadit ille, qui de Clero & Sacerdotio malè moritur, maiorique eſt ſupplicio afficiendus. Propterea monebat Sacerdotes S. Bernardus his verbis: *Cæleſte tenes officium, Angelus Domini exercituum es, tanquam Angelus aut eligeris, aut reprobaris. Inventa in Angelo pravitas, & diſtrictius iudicetur neceſſe eſt, & inexorabilius quam humana.* Hæc ille.

Certè de Sacerdotibus verum eſt, quod ſi purgatorijs addicantur flammis, fore acriter purgandos, vt nulla in eis ſit ſcoria, quia illis tunc illud conveniet: *Purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum, & erunt offerentes ſacrificia in iuſtitia.* Nullam nimirum in eis Dominus patietur vel labeculam inexaminatam, vt puriſſimi ab omni ſorde, & fulgidiſſimi, poſſint offerre dignè ſacrificium laudis & holocauſtum æternitatis.

*Mal. 3.*

*Applicatio.*

CONcludo & dico: Is, cuius nunc exequias celebramus, & cui iuſta perſoluimus, computatus fuit per characterem Sacerdotij inter Filios Excelſi, inter Filios Dei; nunc ſicut homo mortuus eſt poſt longam ægritudinem, quia & adſcriptus erat inter filios hominum, inter filios Adæ. Speramus autem eum prolixitate ægritudinis, tanquam acrimonia ignis, perfectè ita purgatum eſſe & expiatum, vt piacularibus poſt mortem flammis non indiguerit. Cognouit, quamdiu vitam duxit, iuſtitias & iudicia Dei, illisque ſeſe piè & humiliter ſubmiſit; ſtetit in ſorte vocationis ſuæ ſacerdotalis conſtanter & perſeueranter, vitam ducens Sacerdotio congruam, dans Deo laudem per bonum exemplum, per Officij diuini impigram perſolutionem, per ſalutis animarum & diuinæ gloriæ zelum: quidni igitur piè exiſtimemus, eum iam partem ſæculi ſancti aſſecutum, & cum viuis ac dantibus confeſſionem Deo, hoc eſt, cum Angelis & Beatis, conſummare laudem in hoc ſæculo inchoatam? Hoc certè ei intimis animi votis exoptamus, & ad hunc effectum Tibi, Domine, ipſum obnixiſſimè per oblatum ſacrificium ac pia ſuffragia commendamus, vt quicquid moram inijcere ei poſſet, & à gloria retardare, quantocyus tua miſericordia amovere digneris. Et quia humanam agnoſcimus fragilitatem, etiam in Sacerdotibus, varijs negligentijs obnoxiam. Tibi pro illo decantamus: *Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, Domine, quia nullus apud te iuſtificabitur homo, niſi omnium per te peccatorum ei tribuatur remiſſio. Non ergò eum tua iudicialis ſententia premat, quem tibi vera ſupplicatio Chriſtianæ Fidei commendat; ſed gratia tua illi ſuccurrente, mereatur evadere iudicium vltionis, qui dum viueret, inſignitus eſt ſignaculo S. Trinitatis.* Vtique hoc ſignaculo inſignitus eſt in Baptiſmo, in Confirmatione, in Sacerdotio & Ordinatione, triplici charactere, quaſi triplici æterni tui Sacerdotij participatione: effice igitur, vt triplex ille character, quo ſibi conſecratus eſt & conſignatus, non cedat ei in opprobrium & confuſionem in pœnis, ſed in ſpecialem ei cedat gloriam in cœlis, coram animabus & ſpiritibus beatis, vt & ab ipſo in ſæcula ſæculorum collauderis, &c.

*Lect. 9.*

*Siccine ſeparat amara mors?*
1. Reg. 15.

*In funere cuiuſdam amici ſubita morte in itinere per impios milites occiſi.*

IN hoc conſeſſu funebri amicorum dolentium & lugentium ob ſubitam & violentam mortem Viri Honorabilis N. illud mihi occurrit proponendum: *Siccine ſeparat amara mors?* Vt autem propoſitionis huius & horum verborum emphaſis percipiatur, obſervandum & ponderandum primo hoc Epithetum Mortis, *AMARA.* Quod quidem propriiſſimè ei convenit, quia mors amarorum eſt amariſſimum, ſicut *horribilium horribiliſſimum* eam Philoſophus nuncupauit. Quare amarorum amariſſimum, niſi quia omnes miſerias & calamitates huius ſæculi acerbiſſimas exſuperat: Nempe priuat hominem omnibus huius vitæ rebus amabilibus, & vita ipſa, quæ maximè cenſetur bonum amabile inter omnes. Hinc fit, vt ſola eius memoria tantum incutiat horrorem, tantamque generet amaritudinem, vt dixerit Eccleſiaſticus: *O mors, quam amara eſt memoria tua homini habenti pacem in ſubſtantia ſua!* Quinimò ita Chriſto fuit mortis amara memoria, vt tradat Egeſippus, hortum, in quo eum mortis horror invaſit, cum ſudore ſanguineo, produxiſſe flores, quibus circumſcriptum erat: *O mors, quàm amara eſt memoria tua!*

*Mors quare dicatur amara.*

*Eccli. 41.*

Ponderandum ſecundò ex illis verbis, *Siccine ſeparat*, quod mors nonniſi ſeparatio eſt animæ à corpore: ſed valdè violenta, quia inter illa ſtrictiſſima eſt colligatio, & intima vnio. Si namque arboris à terra & radice non poteſt non eſſe acerba divulſio, quia tenaciſſimè natura hæc colligavit: quam acerbam dicemus divulſionem corporis ab anima ſeſe viuificante, cùm eam longè ſtrictiùs & longè intimiùs Deus & natura coniunxerit? Quod ſi hoc verum eſſe agnoſcitur in omni genere mortis, eam nimirum ſeparationem & divulſionem acri cum dolore & amaritudine fieri: maximè verum eſſe fatendum eſt in illa morte, quæ naturalis non eſt, ſed violenta dici ſolet, quia ab extrinſeco illata.

*Mors eſt ſeparatio animæ à corpore.*

In hoc ergò cœtu funebri ob amicum nobis violente abreptum funeſto & crudeli improborum ictu, meritò cum gemitu dicere poſſumus: *Siccine ſeparat amara mors!* Quaſi diceremus.

*Amara mors hominem à multis ſeparat.*

1. Itane oportuit vxorem, ſine extremo coniugali alloquio, à marito divelli citiſſimè & acerbiſſimè, poſt coniugium amabile annorum ſupra viginti! O mors! ô divortium lamentabile! ô vulnus intolerabile! *Siccine ſeparat amara mors?*

2. Itane oportuit proles à parente ſeparari ſubitò, vt nec ſpatium eis indulgeretur paternam implorandi benedictionem ſaltem in extremis; nec monitum aliquod ſalutis percipiendi ex ore abeuntis;

tis, quod altius ſuis figerent cordibus? Eheu! *Siccine ſeparas amara mors?* O funeſta divulſio!

3. Itane fratrem à fratribus ac à matre dilectiſſima abripi oportuit crudeliſſime, ſine valedictione, aut affectus fraterni materni ve prævia teſtificatione, ex qua ſolatium aliquod abiens & obiens, poſſet elicere: *Siccine ſeparas amara mors?* O deploranda ſeparatio!

4. Itane ab amicis omnibus deſeri neceſſe fuit ſine ulla viſitatione, & à rebus omnibus charis celerrime avelli, nec poſſe de poſſeſſionibus aut negotijs ſuis vel horulæ ſpatium diſponere, nec per Sacramentorum medelam ſecuritati animæ providere. *Siccine ſeparas amara mors:* O hora fatalis, ô calamitas digna lachrymis.

O Atropos, quam dura & crudelis, præſcindens telam quaſi in ictu oculi, dum adhuc textura eſt in medio curſus ſui. O Parca, minime parcens, hominem in flore ætatis avellens & protereus, ſententiamque irrevocabilem, luctuoſam & amaram proferens, & id quidem nulla habita ratione cuius libet dignitatis aut conditionis.

Sed quid remedij contra hoc lamentabile fatum: aut à nouis quomodo digeri poterit eius amaritudo: Audi quod dicitur de filijs Prophetarum. Hi prægustare volentes iam decoctum pulmentum, invenerunt illud mira amaritudine con-
*4. Reg. 4.* ſperſum. Quapropter clamaverunt ad Eliſæum *Mors in olla Vir Dei.* Hoc eſt, mortiferum quippiam & lethale videtur admixtum huic ollæ. Erant nempe herbæ amariſſimæ, colochintidæ dictæ. Quid ergo facto opus fuit, ut tolleretur amarities iſta indigeſtabilis: Eliſæus paululum farinæ hordeacæ immiſcuit, & pulmentum redditum eſt filijs Prophe-
*Iob. 6.* tarum amabile. Dicamus & nos hic: *Nunquid poteſt comedi inſulſum, quod guſtatum affert mortem:* Plane poteſt, ſi farinula Prophetæ immiſceatur. Quæ eſt farina Prophetę: Voluntas eſt divina, quæ quamlibet amaris calamitatibus immixta, ſaporem confert. Hæc enim Dei voluntas in omnibus attendenda eſt calamitatibus, & dicendum cum Chriſto: *Non mea, ſed tua voluntas fiat.* Calix amariſſimus paſſionis factus eſt ei amabiliſſimus in conſideratione paternæ voluntatis. Sic dum amara nobis portio & calix propinatur in charorum morte, debet illi ſapor adjici per farinulam iſtam divinæ voluntatis: quæ non debet nobis inſipida eſſe, cum ſit adorabilis, imo omnia acerba debet reddere palato bene diſpoſito ſapida. Ipſe tanquam Medicus ſupremus novit amara temperare, & ad ſalutem noſtram ordinare.

Itaque concludendo dicamus, quod Mors, quæ antonomaſtice *Amara* nominatur, quæque hoc titulo inſignitur *Crudelis ſeparatio*, non eſt tamen cenſenda amara, nec dicenda dura ſeparatio, ſi modo hominem non ſeparet à Deo, quantumlibet ſeparet animum à corpore luteo, atque ab hac luce omnibusque rebus charis, & ſæculo. Quapropter non eſt cum murmure & contradictione dicendum iſtud. *Siccine ſeparat amara mors?* Licet enim violenta ſit mors, ſubitaque & improviſa, non poteſt tamen animam ſeparare à Deo, ei adhærentem *Rom. 8.*
affectu ſincero *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti,* inquit Apoſtolus, *an mors, an gladius, an perſecutio?* Certus ſum, ſubdit ipſe, quod nulla nos poterit ſeparare creatura &c. Non ergo hoſtes inſidiantes, non vulnera crudelia, non mors accelerata potuit defunctum, quem crudeliter occiſum lugemus: à Deo ſeparare. Supponimus autem Chriſtianum omnem, in timore Dei educatum, ſemper ſollicitum eſſe, ut Dei in ſe gratiam foveat & conſervet Quod ſi per infirmitatem peccarit, & ex illa exciderit, ſupponimus rurſum, non negligere præſtitum ſibi à Deo celerrimum remedium veræ & ſinceræ contritionis, quæ ſi perfecta fuerit, ſtatim recuperare poteſt perditam gratiam. Huius autem contritionis eliciendæ memores eſſe ſolent, qui viã ineunt periculoſam. Atque cùm is quem lamentamur non ignoraret quorundam malevolorum minas & inſidias, an putas quod itineri ſeſe accingeret cum diſcrimine, nec ſollicitus foret per interio- *Rom. 8.*
rem animi compunctionem ſeſe purgare ab omni crimine: Hoc pro coronide addo cum Apoſtolo: *Scimus quod diligentibus Deum omnia cooperãtur in bonum.* Etiam hoſtes, etiam inſidiæ, etiam volnera, etiam mors ipſo quolibet loco, vel tempore eius in bonum cooperatur, ſic diſponente & operante illo qui ſuis præparat ignotis admirabilibusque modis *Lect. 10.*
æternam benedictionem.

*Calix in manu Domini vini meri, plenus mixto, &c.*
Pſal 56.

*In funere cuiuſdã Prælati Cœnobii Florinenſis poſt Agapem.*

DVmin Abbatiali hac aula, funebrisque epulo contemplor inſignia Reverendi admodum Patris Gulielmi Flavion, huius domus Prælati p. m. video *Calicem aureum*, è quo *Laurus vernans* prodit, cuique adjacet *Crux Rabea*, cum Symbolo. *Pacifice.* Certè hæc inſignia memorem me reddunt illius ſententiæ à Rege & Propheta pronunciatæ.

*Calix in manu Domini vini meri plenus mixto, Veruntamen fæx eius non eſt exinanita.*

*Triplex animarũ ſtatus hic deſignatur.*

De hac igitur ſententia pauca proponam ad dicendum rogatus, à funebri & religioſo hoc cœtu non aliena.

Triplex animarum ſtatus poſt hanc vitam hiſce verbis accommodè deſignari poteſt, quicquid ſit de litterali ſenſu per Prophetam intento.

*1. Status Beatorum in vino mero.*

Primò quidem, ſtatus animarum beatarum deſignatur *in vino mero.* Etenim in cœlo puriſſimum eſt vinũ, quod de manu & calice Domini propinatur 1 Quia puriſſima ibi lætitia (quæ per vinum frequenter ſacris in litteris deſignatur) ſine ulla admiſtione aquę tribulationis ſine felle amaritudinis, aut fæce doloris *Abſterget Deus omnẽ lachrymam ab oculis Sanctorũ, & iam non erit amplius neq; luctus, neque dolor, neq; clamor, quia prima abierũt.* 2. Ibi puriſ- *Apoc. 12.*
ſſima

ſima veritas ſine admiſtione falſitatis aut vanitatis; puriſſima ſcientia ſine miſtione erroris; puriſſima ſanctitas, ſine miſtione peccati, aut iniquitatis etiam venialis, 3. Ibi puriſſimus amor in ſuo centro requieſcens, non miſtus fæce ulla proprij amoris. 4. Ibi puriſſima felicitas, ſine metu aut periculo ullius adverſitatis. Ibi puriſſima vita, ſine defectu aut mixtione mortalitatis, vel correptionis.

*In hoc ſæculo nihil purũ ſed omnia mixta.*

In hoc ſæculo nihil purum, omnia mixta. Nulla pura lætitia, nulla pura ſanctitas, nulla pura felicitas, nec pura vita: *Ipſe enim quotidianus defectus corruptionis, quid aliud eſt, quàm quædam prolixitas mortis?* Nam & teſte S. Gregorio; *Temporalis vita, æternæ vitæ cõparata, mors eſt potiùs dicenda, quàm vita.* Nos ſumus in loco medio inter cœlum & infernum, & ideo aliquid de utroque participamus; ſicut colores medij aliquid de albo nigro participant In hoc ergo mundo lætitia eſt & triſtitia, in Cœlo ſola lætitia, in inferno nonniſi triſtitia In hoc mundo pax & bellum; in Cœlo continua pax, in inferno continuum bellum. In hoc mundo fames & ſaturitas ſuas habent viciſſitudines; in Cœlo ſemper ſaturitas, *Satiabor cum apparuerit gloria tua*; in inferno fames ſitisque perpetua, In hoc mundo lux & tenebræ; in Cœlo ſemper lux: in inferno ſemper tenebræ. In hoc mundo bonũ & malum, in Cœlo omne bonum, in inferno omnia mala. Calix ergo *in manu Domini vini meri* ſolis Beatis propinari ſtatumque animarum in cœlo ſignificare rectè aſſeritur,

*Pſal.* 16

*2. Calix mixto plenus animas purgatorii denotat.*

Secundò, in eo quod etiam è manu Domini *Calix plenus mixto* prodire dicitur aptè ſtatus animarum purgatorij deſignatur; acerbum enim patiuntur dolorem, habent tamen commixtam nonnullam conſolationem.

1. Ob certitudinem quam habent ſe agere in ſtatu gratiæ & amoris divini, ſeque a Deo amari & juſtè affligi; ideoque divinæ ſe conformant voluntati.

2. Vinum eorum acerbum ſolatium admiſtum habet, ob ſpem certam liberationis tandem futuræ, ac beatitudinis certò certius conſequendæ: Vnde & hæc eſt vox earum: *Educ de cuſtodia*, ſeu carcere *animam meam, ad confitendum nomini tuo &c.*

*Pſal.* 141.

3. Ob conſolationem, quam à virorum percipiunt ſuffragijs, ſacrificijs operibus bonis, indulcorari cenſetur amaritudo calicis.

4. Ob conſolationem quam percipiunt ab ipſis Angelis. Hi enim eos ad purgatorij locum deducunt, & ibidem permittuntur quandoque eis aliquam dare conſolationem. Non ergo totaliter deſeritur anima ab Angelo maximè ab eo qui comes ei fidelis datus fuerat à Deo jam ab utero, qui & illam debet tandem introducere poſt expiationem in gloriam cœleſtem, ut conſummet ſuum miniſterium. Propter hæc igitur omnia vinum quod è calice Domini illis propinatur, nec omnino fæculentum, nec tamen merum & purum, ſed mixtum dici poteſt.

*3. Fæx nõ exinanita animas damnatas deſignat.*

Tertiò, Status animarum in inferno in eo deſignatur, quod de Calice in manu Domini adjicitur: *Fæx eius non eſt exinanita* Certe ſupplicia reprobis infligenda hic vel in futuro, frequenter nomine calicis fæculenti & amari à Deo vindice propinari, ſacris in litteris exprimuntur. Hic illud: *Ignis & ſulphur ſpiritus procellarum pars calicis eorum.* Hoc eſt Ignis cum ſulphure, horridaque tempeſtas cum amore, eſt portio & ſors quæ impijs propinatur & decernitur à Deo juſto judice. Hinc & illud. *Elevare, elevare, conſurge Ieruſalem quæ bibiſti de manu Domini calicem iræ eius, uſque ad fundum calicis ſoporis bibiſti, & potaui uſque ad faces.* Vt tamen oſtendat hunc calicem iræ pro tempore ſolum fuiſſe ad plectendum peccata Ieruſalem, ſubdit Dominus: *Ecce tuli de manu tua calicem ſoporis* (hoc eſt, in noxio mixto plenum, ita ut bibentem faciat corruere & ſoporari) *fundum calicis indignationis meæ non adiicies ut bibas illum ultra, & ponam in manu eorum qui te humiliaverunt*, hoc eſt in manu hoſtiũ tuorum qui te conculcaverunt. Denique & de illo legimus. *Sume calicem vini furoris huius de manu mea, & propinabis de illo cunctis gentibus ad quas ego mittam te. Et bibent, & turbabuntur, & inſanient à facie gladii quem mittam inter eos*, Calix iſte juſtam continebat menſuram vindictæ & ſuppliciorũ, quæ Deus cuique genti deſtinarat: hic calix Ieremiæ præſentabatur imaginariè, ut cuilibet genti illud annunciaret. Hæ interim gentes poterant à peccatis adhuc converti, & ab eis calix iſte amoveri.

*Pſal.* 10.

*Iſaiæ* 51.

*Ierem.* 24

At calix qui damnatis propinatur furoris & indignationis Domini, nunquam ab eis dimovebitur, & fæx eius nũquam erit exinanita. Bibent peccatores in inferioribus terræ de iſto vino furoris fæculento: eosque ita inebriabit ac dementabit, ut in continuas execrationes & blaſphemias erumpant, contra Deum & Cœlum, contra Angelos & homines. Ibi de ſola fæce bibent amaritudinis, quia ibi nihil vini, nihil conſolationis ei propinabitur, vel à Deo, vel ab Angelis, vel ab ullis creaturis. Vnam vel guttam vini vel aquæ exoptant ut refrigerentur ab amarulenta fæce, ſed tota exoptabunt æternitate, nec uſpiam reperient,

Ibi itaque fæx non erit exinanita nunquam, quia perennis erit amator & cruciatus. Sicut enim in cœlo omnia ſunt æterna: æterna ſuavitas & felicitas vini puriſſimi, æterna viſio ſummi veri; æterna fruitio ſummi boni, æterna jubilatio æterni convivij, æterna requies & accubitus genialis triclinij, ubi tranſiens miniſtrabit ſuis Chriſtus: Ita in inferno omnia ſua æterna: æternum durat calix cum fæce ſua: æternus eſt in cubilibus igneis accubitus: æterna eſt ac irrevocabilis damnationis ſententia: æterna pœna damni & pœna ſenſus; æternum ſulphur æternusque vermis: denique deſperatio eſt æterna, & *fumus tormentorum aſcendit in ſæcula ſæculorum* Meritò igitur repetimus de hoc calice eis propina-

to. *Veruntamen fæx eius non eſt exinanita,* licet *inclinetur ex hoc in hoc,* licet ex illo varij bibant, imò penè bibant innumeri, in infelici illa æternitatis menſa confidentes.

Hæc certè conſideratione ſunt digna, in funebri hoc conuiuio, inter calices & cyathos. Conſiderandum, inquam, quænam in altero ſæculo futura ſit pars calicis noſtri. An vinum purum in menſa æterna Domini. An vinum amaritudine miſtum in purgatorio ad expiationem plenam propinatum: An verò vinum totum fæculentum, quod numquam à fæce exemptum erit, nec vſque ad fundum exhaurietur. Hoc poſtremum vinum, dum adhuc tempus eſt, à nobis avertendum eſt & deteſtandum, per pœnitentiam veram. Illud ſecundum, quoad fieri poteſt, cavendum, per ſatisfactionem plenam. Tertium exoptandum & comparandum nobis eſt per operationem perfectam; immò & emendum pretio quod nobis contulit, qui illud vinum præparat diligentibus ſe.

Applicatio.

Sed concludamus, & dicamus Reverendum D. piæ memoriæ, poſtquam de calice mixto doloribus, amaritudinibus varijſque afflictionibus duræ & prolixæ ægritudinis bibit in hac vita; poſtquam crucem ſuam patienter tulit, calicem, crucemque de manu Domini *pacificè*, & reſignatiſſima voluntate accipiens: dicamus, inquam, eum nunc bibere, vt piè omninò ſperandum eſt, de vino puriſſimo iuſtis in altera vita reſervato: propinante æterni conviuij ſummo Architriclinio Chriſto calicem illum ſuauiſſimum & feliciſſimum, à quo omnis fæx, omniſque amaritudo funditùs ſublata eſt. Ad hunc ſanè calicem optatiſſimum ſemper adſpirauit totis animi votis, frequenter repetens illud, dum viueret: *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei; tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi.* Hoc in prima ad ordines initiatione ſibi dictũ, pro ſymbolo piæ vitæ aſſumpſit, & oculis ſuis, tam mentis, quam corporis, crebrò obſervari voluit. Illa ergò iam hæreditate ſperamus eum frui, lauroque vernante coronari, ac in pace in idipſum requieſcere, qui ſemper *pacificè* ſe geſſit, ſiue in ſtatu priuato Religionis, ſiue in ſtatu eminente Prælationis? Semper enim pacem coluit, ſiue cum Deo, per internam pietatem: ſiue cum fratribus, per ſinceram concordiam & humilitatem; ſiue cum ſubditis, per patientiam & charitatem. Pernouerat mala, quæ prodire ſolent è diſcordia, vel ab inquietis perturbatiſq; animis, vel è litigijs etiam forenſibus: ideoque hæc, quoad fieri poterat, amoliebatur à domo ſua, & à ſuis. Meritò ergò inſcripſit Stemmatibus Dignitatis ſuæ, *Pacificè*. Sciebat & illud Domini: *Beati Pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur* Iam certè computamus eum inter Filios Dei, & inter illos ſors eius eſt, in regno Pacis, in regno Patris. Quod ſi forſan adhuc breue tempus retardari poſſet, pro illo obtulimus, & offeremus vlterius Calicem & Sanguinem illum, qui pacificat ſiue quæ in Cœlis, ſiue quæ in terris; virtute illius pertinget ad locum refrigerii, lucis, & pacis. Quod ei donet quantocyùs, qui eſt in ſæcula benedictus, & pro ea te preces quoque ac merita ſua interponat Sanctiſſimus eius Pater Benedictus.

*Pſal. 15.* — *Matth. 5.*

*Infirmata eſt quæ peperit ſeptem, defecit anima eius, &c.* Hierem. 17.

Lect. II.

*In funere cuiuſdã Nob. Dominæ, ſeptem prolibus fœcundæ.*

Hic celebris, funebriſque conſeſſus Perilluſtrium Virorum, Marchionum, Baronum [illegible], Militiæ Præfectorum, ob mortem luctuoſam nobilis Heroinæ Annæ de Imerselle, Dominæ de Imerſelle, ac de Brias (nec non Baroniſſæ de Moriamé ex illuſtri Proſapia, & Stemmatibus antiquis inclyta oriundæ, ſatis clarè omnibus eloquitur, nec ægritudinis, nec mortis tela, nobilium Armis, & Stemmatibus elidi poſſe, vel eludi: illudque verum eſſe:

*Mors Titulos & Stemmata ſternit:*
*Alta metit, cæcu cæca triumphat equu.*

Quapropter in hoc eius funere, multis gemitum lachrymaſque ciente, ad dicendum rogatus, illud mihi aſſumendum duxi. *Infirmata eſt quæ peperit ſeptem, defecit anima eius, occidit ei Sol, dum adhuc eſſet dies.* Hæc ſanè ſingula ei conveniunt, quod & ſequens funebris oratio demonſtrabit. Attendite ſingillatim:

In flore ætatis, exteriori corporis ac interiori mentis ſpecie præfulgida, pernobili ac felici coniugio iuncta fuit cum D. Carolo de Brias, eiuſdem loci de Brias Toparcha, Vrbis Mariopolitanæ pro Catholico Rege Præfecto, Heroë pridem Italicis, Germanicis, Belgicis armis probè noto. Ex hoc coniugio, Cœlo favente, Deo auſpice, Genio bono comite initiato, amore & concordia florentiſſimo, fructus fœcundus cum benedictione enatus eſt. Peperit enim ſeptem proles, qui numerus ſacris in litteris perfectionis numerus eſt. Sic Iob ſeptem filios genuiſſe commemoratur. Mater quoque illa illuſtris Machabæorum, à ſeptem prolibus commendatur. Propter eundem numerum S. Symphoroſa & S. Felicitas in Hiſtoria ſacra celebres ſunt, quod hoc ſcilicet numero proles ſibi à Deo datas illi per martyrium dedicarint.

*Iob. 1.* — *2. Mach. 7.*

Sed quæ decurſu decem annorum in coniugio iſto chariſſimoque (in quod nulla vnquam irrepſerat diſcordiæ vel vmbra) peperat ſeptem, tandem infirmata eſt, & quæ coniugalem nacta erat benedictionem, non evaſit Evæ miſeriam & calamitatem. Quænam eſt coniugalis benedictio, niſi fœcunditas mulieris, de qua viro pro benedictione dicitur: *Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filii tui ſicut nouellæ olivarum in circuitu menſæ tuæ. Ecce ſic benedicetur homo qui timet Dominum:* Quænam autem eſt Evæ miſeria & calamitas, etiam transfundenda in mulieres alias? *Multiplicabo ærumnas & conceptus tuos, in dolore paries.* Mulier quantò fœcundior, tantò ærumno-

*Pſ. 127.*

*Evæ & mulierũ miſeria & calamitates. Gen. 3.*

fior poſt ſingulos conceptus, dolor cruciat per ſingulos partus, inquit Rupertus l.3.de Trin. c.22. Hoc agnouit Rebecca, vxor Patriarchæ Iſaac, quæ perſentiens in vtero colliſionem violentam ob geminum fœtum. Eſau & Iacob, dicebat alto cum Gen.25. gemitu: *Si ſic futurum erat, quid neceſſe fuit concipere.*

Sed hæc ſumma ærumnarum eſt, quod non ſolùm naſcens proles infligat matri acerrimum dolorem, ſed etiam quandoque & acerbam mortem. Sic Rachel coniux Patriarchæ Iacob (quæ tanto Gen.25. deſiderio proles optarat, vt viro diceret, *Da mihi liberos, alioquin moriar*) tandem enixa ſecundam prolem, intermoritur. Cumque eam conſolaretur obſtetrix, & diceret: *Adhuc & hunc habebis filium*, voluit mater eum vocari *Benoni*, hoc eſt, *Filius doloris mei*. Attamen Pater, quæ futura erant circa hanc prolem & eius progeniem, obtutu prævidens prophetico, immutauit ei nomen, & appellari voluit *Beniamin*, hoc eſt, *Filius dexteræ* ſiue *Filius fortitudinis & felicitatis*.

Quippiam non abſimile videtur contigiſſe illuſtri huic Matronæ defunctæ, quæ vbi peperit ſeptimam & poſtremam ſuam prolem, *infirmata eſt*, & quidem infirmitate ad mortem. Ideoque potuit eam vocare *Benoni*, hoc eſt, *filiam doloris ſui*. Sed Pater æternus, ei nomen aliud indidit, & *Beniaminam* appellauit, hoc eſt, *filiam dexteræ*; quia mox eam per mortem à cunis ad Angelorum conſortium tranſvexit, & ad electorum partem, quæ eſt à dextris, collocauit. Nam de infantibus à baptiſmo Iſa.52. morientibus verum eſt: *Gratis venumdati eſtis, & ſine pretio redimemini.* Gratis eos primus Adam vendidit, gratis ſecundus Adam Chriſtus eos redimit. Primus Adam cauſa eſt eis originalis peccati, & conſequenter priuationis gloriæ diuinæ, ſi in illo peccato decedant. Chriſtus per baptiſmum noxam illam eluit, & in gratiæ ſocietatem eos vocat: in qua ſi eos mox decedere contingat, facit & hæredes gloriæ, & ſuæ conſortes dexteræ. Quod hic accidiſſe intuemur, & æterno Patri gratias agere tenemur; qui omnia diſponit ſecundum bonæ voluntatis ſuæ placitum, in ſalutem electorum, & gloriæ ſuæ incrementum.

Et quamuis certiores ſecurioresque ſimus de prole, quam de matre, quia nulla ei noxa proprij arbitrij obeſſe potuit à baptiſmate, & in Chriſto regeneratione: ideoq; nihil remoram ei iniecit ab ingreſſu gloriæ & hereditatis participatione: attamen & de illa firmam omninò fiduciam concipimus, ex ipſa & accurata diſpoſitione quam in ea intuituri ſumus erga diuinum Numen, mox à partu obortâ infirmitate, & à vitæ ſuæ conſpicuâ probitate.

Infirmata igitur eſt quæ peperit ſeptem nec ſolùm infirmata eſt, ſed & *defecit anima eius*, hoc eſt, à corpore ſeparata eſt & diuulſa; ſed poſt longam ſanè patientiam in acerbiſſimis cruciatibus, & poſt eximiam cum diuina voluntate conformitatem in doloribus. Audiui quondam ex ore eius, dum adhuc ſanitate polleret, ſe ſæpiùs rogare Deum vitæ & mortis noſtræ ſupremum arbitrum, quandoquidem in ſtatu coniugij & vanitate ſæculi vix daretur locus pœnitentiæ, maximè in familijs nobilium, ubi inter delicias agitur, & in rerum omnium affluentia: vt quando euocanda eſſet ex hoc ſæculo, immitteret ei prolixum morbum, quo expiarentur delicta ſua: ſe enim exhorreſcere alterius ſæculi pœnas, etiam purgatorias. Nouerat, & Domino repetebat illud S. Auguſtini: *Hic vre, hic ſeca, vt in æternum parcas.* Malebat amplecti *Virgam vigilantem* Dei, percutientem ſalubriter in hoc ſæculo, quàm incidere in *Ollam ſuccenſam*, acerbè nimis vrentem & vindicantem in futuro. Hier.18. Quapropter extremâ ſuam infirmitatem de manu Dei lubens ſuſcepit. Amara licet ei foret ob acres dolores; amara tamen non fuit, tanquam à manu paterna procedens. Vnde & profitebatur coram viſitantibus ſe, & ſpem ſanitatis ad ſolatium dantibus: ſe non optare ad priorem redire valetudinem, niſi & ſibi gratia cœlitùs daretur, ad perfectius quàm anteà vacandum Dei obſequio. Atq; ad Deum oculos cordis & corporis crebrò conuertens, dicebat cum Pſalmiſta: *Cognoui Domine, quia æquitas iudicia tua, & in veritate tua humiliaſti me.* Pſal.118. Si quandoq; ſeruiui vanitati (multiplex vtique ſub Sole vanitas filios hominum faſcinat, & vndique circumdat) ſi corpus hoc luteum nimium foui: ecce me iuſtè plectis, & in æquitate ac veritate humilias. Verumtamen *ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat, vt requieſcam in die tribulationis: vt aſcendam ad populum accinctum noſtrum.* Abac.3. Tales erant eius voces in extrema ægritudinne, inter acerbos cruciatus, corpore ſe iam ad putredinem & corruptionem diſponente, antequam deficeret anima eius.

Deficit illa tandem, & *Occidit ei Sol dum adhuc eſſet dies.* Mortua eſt mox à meridie, ſic ei incepit Sol occidere plenâ die; ita vt potuerit tunc dicere oculos huic claudens luci: Vale, ô Sol, oculus cœli, lampas mundi, pulchritudo diei. Vale, ô dulce lumen, & his oculis corporis antea delectabile. Ecce atra nox me antris ſuis obſcuris in finem vſque ſæculi condet: nec lucebis mihi vltra Sol, aut aſtrorũ amabilis ſplendor, mortis caligine me ſub tellure & puluere abſconſum aperiente, donec veniat illa vox in ſæculi conſummatione: *Expergiſcimini, & laudate, qui habitatis in puluere: quia ros lucis, ros tuus*, ſicut deſcribit Iſaias. Iſa.26. Valete, ô mundi opes, honores, gloria, & quicquid me delectare poterat in hac ſæculi orcheſtra & ſcena: nihil veſtrum me comitabitur ad ſepulchrum: dum illuc inferar: foris manebunt omnia, præter breue, quo inuoluar linteum, breui in putredinem redigendum. O ſæculi ſpes vana & deceptione plena, quæ noſtra ad tẽpus alens deſideria, & fovens vota, multa promittens, in medio nos deſeris curſu & deludis! Vale, ô dilectiſſime mi marite, cum amicorum omnium & charorũ turba. Hic dicere tibi cogor longum vale. Hic diſtringitur nodus ſacri fœderis & charæ amicitiæ:

citiæ nec ultra eum licet producere, vel religare. Er-
go & vos valete, ô pignora mea & proles amantiſ-
ſimæ! Hic finiat neceſſe eſt ſollicitudo materna,
quam hactenus peramanter conata ſum vobis im-
pendere. Mors me à vobis ſeparat, & vos à me. Sed
amara ſane ſeparatio à prolibus & marito, ubi erat
tam amabilis unio. Violenta planè divulſio, è ſinu &
brachiis maternis tenellam ſobolem, matris adhuc
cura egentem, tam citò eripi, contra ſpem præcon-
ceptam. O duram ſubitamque mutationem, O vo-
Iſai 38. lubilem ſæculi rotam!

*O verè exiguo ſe invertit tempore mundus.*

Iob. 7. De manè uſque ad veſperam finies me, & ſi altero
*manè me quæſieris, non ſubſiſtam:* veſpere ſi adhuc
inter vivos recenſeor, mane computor inter mor-
Pſ. 48. tuos, *& tenebroſum ſepulchrum domus mea eſt à pro-*
*genie in progeniem.* Quid ultra dicam; Ecce moribus
velut Leo fame confectus me aggreſſus eſt, & to-
tum meum exugit ſanguinem, depavit carnem,
oſſa contrivit, & ad extremas me redigit anguſtias
O quam pauculo tempore, quam grande iter con-
ficiendum eſt, à vita ad mortem, à luce ad caligi-
nem?

Occidit igitur ei Sol *dum adhuc eſſet dies* quia ſol
vitæ, qui omnes corporis ſenſus vegetat & illumi-
nat, occidit ei, dum adhuc ipſa ageret in meridie,
hoc eſt, in medio curſus ætatis ſuæ, mox à trigeſimo
ætatis anno. Hic eſt ille Sol, qui ei obtenebratus
eſt & occidit præmaturè nimis, de quo Eccleſiaſtes:
Eccl. 18. *Memento Creatoris tui in diebus iuventutis tuæ, an*
*tequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent*
*anni de quibus dicas: Non mihi placent: antequam te-*
*nebreſcat Sol & Luna, & Stellæ, & revertentur nu*
*bes poſt pluviam, & tenebreſcent videntes per fora-*
*mina, & obſurdeſcent omnes filiæ carminis &c. Et*
*ibit homo in domum æternitatis ſuæ, & circuibunt in*
*platea plangentes.*

Rurſus, occidit ei Sol, *dum adhuc eſſet dies*, hoc
eſt, dum adhuc tempeſtivum nimis videretur, dum
nobili ſuæ familiæ providendum, dum in obſequio
& timore Dei proles educandæ, dum ad honoris
gradum à matre prudentiſſima manu ducendi &
evehendi Filij Dum eius maximè luce coniux indi-
gebat & ſolatio, amici conſortio, domeſtici auxi-
lio, pauperes ſubſidio, afflicti conſilio, denique om-
nes charitatis eius adminuculo Certè eius lux &
dies plurimis adhuc erat neceſſaria, dum occidit ei
ſol, ita ut non ſolùm ipſi ſol occidiſſe cenſendus ſit,
ſed & omnibus illis ad quos ſplendoris, virtutisque
& benignitatis ſuæ radios diffundebat. Nec enim
illi ſolum intra domeſticos parietes concludeban
tur: ſed & ad omnes cuiuslibet conditionis ſeſe ex-
tendebant. Et ideo in eius morte, ubique luctus per
Eccl. 22. urbem, ubique tenebræ mœroris, ubique planctus
& lamentum, *defecit lux eius.*

Sed licet vitæ Sol ei defecerit, & mortis nox ſuc-
ceſſerit, dicam tamen quod Sapiens de muliere for-
Prov. 31. ti: *Non extinguetur in nocte lucerna eius,* Etiam in
tenebris & caligine mortis, lucem inveniet & fa-
cem præeuntem, quam piis operibus accendit.
Non occidet ei unquam Sol gratiæ Chriſtus, in
quem totius ſemper cordis ſui fixit intuitum, ſive
in die proſperitatis & vitæ ſive in nocte adverſita-
tis & mortis.

Dicam igitur confidenter cum Sapiente: *Placita*
*erat anima illius Deo, ideo properavit eam educere de* Sap. 4.
*medio iniquitatum. Rapta eſt, ne malitia mutaret in-*
*tellectum eius, & ne fictio deciperet animam illius.*
*Faſcinatio enim nugacitatis obſcurat bona, & tranſ-*
*vertit ſenſum ſine malitia.*

Et ne quis hic exiſtimet, me hoc auribus amico-
rum dare, quaſi aſſentatoriè, iſtud mihi exploratũ
eſt, familiari qua ſæpè dignata me fuit communi-
catione rerum conſcientiæ, teneram omnino &
plane timoratam eius fuiſſe conſcientiam: quam
expiare, & magis magisque aſſecurare coram Deo
conata eſt, per generales totius vitæ confeſſiones a-
liquoties repetitas. Quapropter repeto cum Sapi-
ente: *Sortita erat animam bonam.* Hanc in Dei ti- Sap. 8.
more cuſtodire, & Deo dicare ſatagebat iam ab a-
doleſcentia, atque à gravioribus noxis immacule-
tam facere, ut placeret illi qui dedit illam.

Quomodo *ſortita erat animam bonam*, publicè
privatimq; eluxit per pietatem erga Deum, quam
divinæ laudis & ſacrificij, divinorumq; Sacramen-
torum frequentatione teſtatus eſt, alijs ›io in hoc
prælucens exemplo, & maximè domeſticis, quos
ad ſacram Synaxim crebrò ſumendam verbo ex-
hortabatur, & facto.

Quomodo *ſortita foret animam bonam*, eluxit
quoque per charitatem erga egenos, erga ægros,
erga omnes afflictos, quibus maxima comitate &
affabilitate aurem & manum accommodabat, ut
eorum ſuccurreret afflictis negotiis, ſuam interpo-
nens, vel opem, vel auctoritatem.

Quomodo *ſortita fuerit animam bonam*, rurſus
eluxit per reverentiam erga Dei miniſtros & Sacer-
dotes, quos magnoperè honorabat, ſive ſacerdotio
fungerentur in Religione, ſive in ſæculo. Eorum
monita perlubens audiebat, & verbum Dei atten-
ta aure excipiebat: ſolebatque mihi dicere, ſe illas
maximè adamare conciones, in quibus vitia redar-
guerentur, vel vanitates, quibus ſeſe obnoxiam
perſentiſceret, Hoc certè ſignum eſt animæ bonæ,
humilis, & timoratæ. Prætereo eius erga Deiparam
virginem devotionem, cuius ſacro Scapulari ſe ex-
ornabat, cuius Roſario ſe pientiſſime addicebat,
cuius cultum ubique promovebat, cui obſequium
ſervitutis ſuæ offerebat, propriis manibus texendo
tapetes & pretioſa periſtromata, quæ ad aram B.
Virginis in anteriori parte exornandam diebus ſer-
vient ſolennibus. Denique compaſſione maxima
ferebatur erga animas in purgatorijs flammis de-
tentas, ideoque & Sodalitium hac in Eccleſia pro-
movit, quod profiteretur eas crebris ſacrificijs &
ſuffragiis adiuvare. An non hæc omnia animæ bo-
næ ac piæ ſunt ſymbola?

Suſcipe igitur, Domine, in locum quietis, & in

ſinum æternitatis, animam ſincero corde Tibi Matrique tuæ Sanctiſſimæ devotam, infirmis membris tuis ex charitate officioſum; miniſtris tuis obſequentem, locis piis munificam, & liberalem: tot dotibus naturæ & gratiæ præfulgidam omnibus amabilem, & ab omnibus commendatam. Occidit ei Sol vitæ huius, & lux: Tu ei Sol eſto, & illuſtra faciem tuam ſuper illam, & ſit ei dies luxque perpetua; & ſi quæ eam obumbrarint delicta vanitatis terrenæ, terge, & diſſipa luce benignitatis tuæ. Hoc à te poſcit ſacer iſte & funebris confeſſus, &c.

LECT. 12.

## MANE, THECEL, PHARES.
Dan. 5.

*In Funere eiuſdē Nobilis, Dominæ, poſt epulum funebre.*

HOrrore plena fuit viſio Regis Balthaſaris, dum in feſtivo & geniali epulo, nocte Optimatibus ſuis instructo, conſpicatur manum ſcribentem, in aulæ ſuæ pariete iuxta candelabrum, ut ex luce candelabri tantò magis conſpicua foret. Tria autem ſolummodò inſcribebat verba: MANE, THECEL, PHARES, vt fortè ſolùm tres litteras initiales illorum verborum, ut aliqui volunt. Nemo autem ex Sapientibus Chaldæis potuit hanc ſcripturam legere, aut interpretari: vel quia dictiones iſtæ erant ſine punctis ſcripturæ, quibus utuntur Chaldæi & Hebræi: aut quia tantum erant initiales litteræ harum dictionum, quomodo latine ſcriberemus. M. T. P. ad ſignificandum MANE, THECEL: PHARES.

Contremuit autem Rex, & cogitationes eius conturbabant eum. Quare ita contremuit? An non cinctus erat mille Optimatibus ſuis? Cur timet unam manum apparentem, & quidem hominis manum? Quid illa manus ei nocere poteſt, quæ non lanceam vibrat aut gladium, non arcum tenet aut telum, ſed calamum: Manus eſt, non cruorem fundens, ſed attramentum: non percutiens, ſed exarans. Attamen meritò timet, quia ſemper ſæva præſumit perturbata conſcientia.

Rege interim conturbato, & Sapientibus ignorantiam ſuam hac in re fatentibus, vocatur Daniel, qui ſpiritu Dei pollebat, & rogatur ut ſcripturam legat & explanet. Legit itaque, tria verba iam dicta quæ idem ſignificant, quod NUMERAVIT, APPENDIT, DIVISIT Et quia hoc obſcurius adhuc Regi eſſe poterat, totam mentem divinam clarè ei expoſuit: Hæc eſt, inquit, interpretatio ſermonis, MANE: Numeravit Deus regnum tuum, & complevit illud THECEL: Appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens. PHARES: Diviſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis & Perſis, eadem nocte interfectus eſt Rex. Quod quidem de anno revoluto interpretantur nonnulli. Quia illa nocte ſolebant convivium inſtruere in honorem Deorum ſuorum, ideoque cùm iam non amplius meminiſſet Balthaſar decreti cœleſtis, incidit in manus hoſtium.

*Ire Guevara; Alcazar, & alii*

In hoc convivio funebri, in hac aula tenebroſa & luctuoſa, videor mihi videre ſimilem manum cœlitus ſcribentem idipſum, ut commoveat unumquemque noſtrum, cuiuslibet ſtatus ſit, aut ordinis. Quid ergo ſcribit aliud quàm iſtud cordibus omnium inſcribendum: *Numeravit: Appendit: Diviſit:* ſive *Numeratum, Appenſum, Diviſum?* Attendite igitur, ô Præclari & Sacerdotes hic præſentes: Attendite, ô Viri prænobiles & perilluſtres! Attendite, ô Tribuni, Centuriones, Milites, Attendite, ô miniſtri omnes huius aulæ cum Heris & Dominis. Attendite, inquam, & cordi recondite ſcripturam hanc decretoriam, illamq; frequenter legite & volvite, quia vos omnes concernit: MANE, THECEL, PHARES, Numeravit Deus annos veſtros, menſes, hebdomadas dies horas, momenta, & complet illa Conſtituit terminos qui præteriri non poterunt: & ſæpe mendax eſt calculus hominum multos ſibi annos computantium: errare aut falli nequit calculus illius qui *omnia in pondere, numero menſura diſpoſuit.* Sap. 11.

Appendit quoque vos in Statera ſua, ponderans omnia opera bona & mala, virtutes & vitia, facta & dicta, imò & cogitationes. *Spirituum ponderator eſt Dominus.* Prov. 16. Pondus eius pondus Sanctuarii eſt, omnia merita vel demeteria appendit juſtiſſimè, non in fallaci mundi pondere, de quo eſt illud: Pſ. 61. *Mendaces filii hominum in ſtateris, ut decipiant ipſi de vanitate in idipſum.* Et rurſus alibi: *Canaan in manu eius ſtatera doloſa.* Oſee 12. Nihil ponderant in ſtatera Domini honores, opes, gloria, pompa ſæculi; ſed inveniuntur hæc omnia inania. quæ mundus æſtimat in bilance ſua. At pietas, charitas, humilitas, continentia, caſtitas, habent hic pondus ſuum: dum is ponderat qui tribus digitis appendit molem terræ, & librat in pondere montes, hoc eſt, quamlibet ſublimes & excelſos ſæculi viros.

Dividet tandem paucum poſt tempus regnum veſtrum, hoc eſt, animam à tempore. Dividet vos ab his quibus nimio affectu inhæretis. Dividet ab opibus, honoribus, parentibus, amicis. Dividet quæ veſtra ſunt inter hæredes, forſan ingratos. Et utinam non dividat vos à ſe, ab Angelis, & Cœlo, à Beatis, & tradat Dæmonibus; hoſtibus veſtris: Vtinam ab hac luce, & à luce ſimul æterna vos non dividat.

Hæc ergò tria attendenda ſunt: Numerus & Calculus, Statera & Pondus, Romphæa & Gladius ſecans & dividens: ut ſcil. poſſimus diſcrimen prævenire & evadere, ſatisfaciendo numeranti, appendenti, dividenti, antequam hora fatalis adveniat. Quomodo autem id poterimus? Hoc poterimus, ſi & nos, dum tempus eſt, *Numeraverimus, Appenderimus, Diviſerimus.*

*Numerare.*

Quid eſt numerare? Vitæ noſtræ brevitatem ſeriò conſiderare, & calculo juſto recenſere, illud Iob ruminando: *Spiritus meus attenuabitur, dies mei breviabuntur, & ſolùm mihi ſupereſt ſepulchrum.* Et rurſus illud: *Breves dies hominis ſunt, numerus*

*menſium*

Iob. 7. *menſium eius apud te eſt.* Denique & iſtud: *Sicut ſervus deſiderat umbram, & mercenarius finem operis ſus præſtolatur: ſic & ego habui menſes vacuos, & noctes laborioſas enumeravi mihi.*

Quid eſt appendere? Examinare non ipſos in bilance rationis & ſtatera juſtitiæ; ponderare peccata noſtra ſecundùm veritatem, & non ſecundùm fallacem mundi ſtateram, in qua vitia nonnulla inſtar virtutum æſtimantur: avaritia ibi prudentiæ nomen & locum tenet; vindicta magnanimitas reputatur, prodigalitas liberalitatis titulum ſibi vendicat, hypocriſis humilitatis, diſſolutio hilaritatis. Rurſus, appendere eſt ponderare pondus ignis æterni, aut pondus pœnarum futuri ſæculi, ſicque dirigere pedes ſuos in viam rectam, ut in eas non ſit periculum incidendi.

Quid eſt autem dividere? Eſt attendere & perſpicaci mentis oculo eminùs intueri futuram illam diviſionem corporis ab anima, animæ à corpore, nec ſolùm à corpore, ſed & ab omnibus charis in hoc ſæculo rebus; ſicque tempeſtivè affectum nimium ab his dividere & ſecernere, imò & amore nimio huius vitæ. Hoc facit is qui maturè illud cõſiderat: *Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te, & quæ paraſti, cuius erunt?* Denique diviſionem illam nunc oportet ſibi repræſentare, quæ futura eſt à luce æterna, à patria & hæreditate filiorum, à conſortio agnorum & ovium. Felix igitur, qui benè numerat, benè appendit, benè dividit in hac vita, ut calculum, ſtateram, diviſionem horribilem alterius vitæ poſſit evadere, & prævenire.

PErnobilis Domina defuncta (cui extremos hodie meritò honores illuſtris hic cœtus mœſto animo perſolvit) dum adhuc hac in vita mortali degeret, monitum iſtud divinum apud Danielem expreſſum non prætcrivit: Etenim & ipſa *Numeruit, Appendit, Diviſit.* Brevitatem vitæ huius caducæ, & variis periculis & mortis obnoxiæ, ſæpè conſi-

Luc. 12. derabat; ſicque figebat mentis oculos ſuper ſe ſepulchrum ſuum. Sæpè enim ex eius ore audivi: Sacrificiis tuis me commendatum habe, nec enim exiſtimo mihi longam vitam fore. Atque inter cætera huius vitæ pericula ſpecialiter timebat partus periculum, & confœderatos ei dolores. Vnde cùm ultimam geſtaret prolem, vtero gravida, & partui propinqua: Vereor, inquiebat ipſa, me hac vice diſcrimen haud evaſuram. Et certè hoc quaſi animo præſago viſa eſt mihi dicere, ac de ea verificatum

Iob. 3. videmus illud: *Timor, quam timebam, evenit mihi, quod verebar, accidit.*

Intuebatur quoque bilancem divinam, eiusque pondus, nam & illi hoc convenit: *Verebar omnia o-*

Iob. 9. *pera mea, ſciens quod non parceres delinquenti. Quaſi tumentes ſuper me fluctus ſemper timui Dominum.* Certè timor Dei eam manuducebat in omnibus, & cuſtodiebat ac protegebat. Vlterius ponderabat in ficlo Sanctuarij futuræ vitæ pœnas; ideoque optabat decurſu vitæ huius aliquam ſibi immitti pro delictis pœnitentiam & ſatisfactionem, ne in pondere divini judicij inveniretur minus habens. Eandem ob cauſam quotidie divinis intererat Sacrificijs, ubi communicantur merita & ſatisfactiones Chriſti, defectum noſtrum ſupplentes. Sciebat illud S. Bernardi: *Ego quicquid mihi deeſt* Bernar. in Cant. *ſuppleo ex viſceribus Domini noſtri Ieſu Chriſti, quia miſericordia affluunt, nec deſunt foramina per quæ affluant.*

Denique, dimiſit animum ſuum ab omnibus ſæculi rebus ut perfectè adhæreret Deo. Quapropter in extrema ægritudine, poſtquam filijs benedictionem impertiſſet, & marito valedicens, omnem eorum ſollicitudinem commendaſſet, & ei reſignaſſet, rogavit ut fineretur figere oculos in Deum, in ſepulchrum, in æternitatem appropinquantem. Omnia Deo commiſit ſincera animi demiſſione, nullam ultra ſibi fieri mentionem de rebus ſæculi cupiens licet integra perſiſterent mente. Accingens ſe ad iter ſibi adhuc ignotum, illi ſoli animum intendebat, ut Deo Duce, Angelo Comite, MARIA & ANNA manum præbente, feliciter illud poſſet peragere. Atque ut domibus Religioſis in locis circum vicinis egreſſus animæ ſuæ commendaretur, humiliter rogavit, meritis & orationibus piorum ſollicita munire calcaneum ſuum, ne fors ei ſerpens inſidiari valeret.

Tandem igitur completum eſt Dei ſuper eam decretum. Complevit eius annos & tempora, menſes & dies, qui de illis ab æterno diſpoſuerat. Diviſit animam ipſius à corpore, & terrena inhabitatione: Appenſa quoque fuit in ſtatera & bilance, ſed, ut piè exiſtimamus, non eſt inventa minus habere. Quis enim poſt tot exempla lucida virtutis, eam dixerit minus habuiſſe pietatis, charitatis, humilitatis, cęterorumque meritorum, quam eius ſtatus depoſcebat: Imo forſan dicere potuerit cum Iob. *Vtinam peccata mea appenderentur, & calamitas quam patior, in ſtatera.* Etenim calamitas acris & prolixi morbi, coniuncta meritis & ſatisfactioni Iob. 6. Chriſti, longe plus præponderare poteſt omnibus pœnis, quas peccata promerentur.

Quod ſi forſan ex ſe aliquantum deficiens fuit, quia humanæ naturæ conditio multis eſt obnoxia defunctus, & pulverulentum eſt iter quod hic peragimus, ita ut labeculis nos inſpergat, supplebunt millenæ Miſſæ, quæ pro eius ſubſidio quantocyus ipſa rogante, perſolvẽdæ ſunt, ſupplebit pius cruor Chriſti Ieſu in Miſſæ Sacrificio offerendus, & hodierna die à nobis ad hunc effectum oblatus, aliaque ſine numero viventium ſuffragia, in cœlum ad eius auxilium deſtinata. Atque hoc poſtremum addo hic ſuffragium & votum.

Rogo te, & obteſtor obnixiſſime Domine Ieſu per ſpineam coronam, cuius punctiones tecum perſenſit, per crucem, quam in tuo conſortio toleravit per lectum doloris, in quo ſine te non decubuit, per anguſtias & languores animæ tuæ, quibus per longam & acrem ægritudinem patientiſſime partici-

pavit, per vulnera & plagas tuas, quibus pio corde communicavit, ſupple quidquid ei deeſt, dele & abſterge quicquid ei maculæ ineſt, & Paſſionis tuæ conſortem transfer in conſortium gloriæ & æternæ fruitionis.

*Si terreſtris domus noſtra diſſolvatur, habemus ædificationem ex Deo, domum non manufactam æternam in cœlis.* 2. Cor 1.

*In funere Illuſtris Domini Baronis de VViertves, &c. poſt epulum funebre.*

DVm undique arcem hanc luſtro, amplis magnificisque ædificiis conſtructam, quibus extremam apponere manum Illuſtris eius Dominus morte præventus non potuit, memoriæ ac menti occurrit illud Apoſtolij: *Si terreſtris domus noſtra diſſolvatur, habemus ædificationem ex Deo, domum non manufactam, æternam in cœlis.* Quæ eſt domus noſtra terreſtris, quæ citò diſſolvitur? Corpus certe noſtrum luteum eſt domus iſta, quæ, quia terrenum habet fundamentum, mox per ægritudinis incurſum concutitur, & excutitur ac corruit. Et licet morbi violantia in eam non impingat, tamen ſenſim ſine ſenſu collabaſcit, & deteritur ævi decurſu: ita ut non ſit fidendum ei, non magis quam *parieti inclinato, aut maceriæ depulſæ.* Hoc cogimur cernere, & attendere, in hoc funere Illuſtris Domini Baronis, qui in florente adhuc ætate impulſu ægritudinis mox corruit, & in pulvere nunc iacet, diſſoluta animæ & corporis compage, dum ligna lignis, lapides lapidibus, lateribus lateres, marmora marmoribus conglutinare cœpit, ut Arcem ſuam quaquaverſum perficiat, & conſummet habitationem peramplam & percommodam ſibi nobilibusque ſuis prolibus paraturus.

*Pſal. 61.*

Sed, eheu! ingemiſcere cohor & dicere: Quis credidiſſet eum adeo exiguo tempore tam magnifica tamque illuſtri domo uſurum? Certe, recte monuit Apoſtolus, ut qui *utuntur hoc mundo, tanquã non utantur* quia tempus breve eſt, & quia præterit figura huius mundi. Sic & nos monere poſſumus eos qui ampla ſibi palatia aut tecta ædificant, ut ædificent tanquam non uſuri, aut certe tanquam non non fruituri: apte enim diſtinguunt Theologi, *Vti & frui* quod rebus huius ſæculi quaſi tranſeunter utendum ſit, nec affectu inhærendum, cum volubiles ſint & caducæ: in altero autem ſæculo frui dabitur his quæ tunc perennabunt.

*2. Cor. 7.*

*Nota.*

Non eſt à noſtro propoſito alienum, quod de Nobili quodam juvene Gerardo à Campis Hiſtoriæ tradunt Franciſcanæ. Hic utroque orbatus parente multarum opum & pecuniarum hæres, putavit ſibi glorioſum, ſi domum magnificã exſtrueret, ſibique propriam vendicaret, & habitaret, ex ea non migraturus. Fecit igitur, exſtruxit eam ex animi ſui ſententia: vocavitque ad illius benedictionem omnes amicos ſuos, oſtentans domum undequaque, & ſingulos rogans, ut libere edicerent, ſi quippiam decori domus huius deeſſet, ſibi ſatis nummorum eſſe, ut defectum corrigat, & diruat. Cumque omnes domum laudarent, unus dixit: *Pulchra eſt & commoda, ſed unum adhuc deeſt.* Inſtabat ipſe, ut plene aperiretur, in quo ſit defectus, ut provideat huic rei. Poſt multam autem inſtantiam, dixit ei amicus in aurem. *Defectus non in lignis, aut lapidibus, aut feneſtris conſiſtit: ſed in eo quod domus huius Dominus ex ea quandoque efferri debebit, & forſan propediem.* Hoc reſponſo accepto proceditur ad convivium. Is vero qui ad hilaritatem amicos invitarat, cogitabundus hæret, nec reſponſum illud ab animo excutere valet, ſed meditatur & ruminat quid conſilij ſuperſit, ne domo efferatur. Noctem exinde ſequentem duxit inſomnem, ſemper idipſum alta & ſollicita mente ſecum volvens. Tandem reſolvit: *Scio quid faciam, egrediar hac domo, antequam efferar ex illa, illamque & omnia relinquam, & domum mihi aliam fabricabo, in qua poſſim æternum habitare.* Sic Ordinem S. Franciſci ingreſſus eſt, ubi domum non manufactam æternam in cœlis ſibi fabricavit feliciter, diſſolvendæ tandem terreſtris ſuæ domus non immemor, hoc eſt mortis.

Non abſimiliter cum quodam die defunctum noſtrum familiariter in ædibus ſuis convenirem, hilari mente quicquid de ædificijs ſuis recentibus animo conceperat, mihi aperiebat, ſingulas partes delineans diſertis verbis, quas conſummare intendebat cum magnificentia. Subiunxi ego: *Domine, ſi hæc omnia conſummanda ſunt, feſtinatione opus eſt.* Replicat ipſe: *Cur mihi hoc dicis? An quia forſan brevi me moriturum vis ſignificare?* Reſpondi: *Non ſum Propheta, ut hac de re pronunciare valeam. Hoc tamen etiam quisque timere poteſt, & conſiderare iuvat, ne magna molientes, obliviſcamur incerti noſtri ævi, & caducæ vitæ, quæ nos deſerit in medio cœpti & concepti operis.*

Hoc quidem non raro fieri videmus: ita divina diſponente Providentia, ut nulli rei ſub Sole, & ſub inconſtanti aſtro Lunæ, figamus affectum: cum nihil ſit fixum, nihil certum, quia nec unum diem nec unam noctem ſecure nobis polliceri poſſumus. Mors juvenibus in inſidiis eſt, ſenibus in januis: illam ergo ubique & quocunque tempore ſpectare & exſpectare oportet; quia & illa ubique nos exſpectat, & ſæpe adoritur & improviſo: velut fur in nocte, vel latro in itinere, diripiens cuncta, in quibus confidebamus. *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, tunc in pace ſunt omnia quæ poſſidet*, ait Dominus in Evangelio, *ſed ſi fortior illo ſupervenerit, & vicerit eum, univerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet.* Quid morte fortius, quæ non ſolum pauperum tabernas & plebis proletariæ caſas vi ingreditur, ſed etiam Regum turres, Baronumque ac Heronm arces: Ipſos ubi ipſa vincit & proſternit, nec arma, nec ſtemmata ei reſiſtere valent, nec opes, nec honores. Omnibus his eos

*Semper & ubiq; mors expectanda.*

ſpoliat,

poliat, & è propria domo, magnificis ſumptibus ab ipſiſmet exædificata mox expellit, & deportat in paluerulentum aggerem, & foveam ſeptem pedum: *Sepulchra illorum, domus illorum in æternum.* Pro palatijs deinceps habituri ſunt fœtida & cadaveroſa ſepulchra, in quibus in finem vſque ſæculi inhabitabunt, longè certè diuturniori tempore, quam in ſuis proprijs arcibus habitarint, & quaſi in ſempiternum, quia vſque ad conſummationem orbis, quod tempus vocari ſolet ſempiternum, more loquendi ſacræ Scripturæ.

*Pſal. 48.*

*Mors omnia vana eſſe in mundo demonſtrat.*

Mortis igitur conſideratio omnibus rememorat, quomodo omnia in orbe iſto volubili vana ſint, & velut in axe verſatili ſurſum deorſum rotentur, & convoluantur. Aperit illa oculos, vt intueantur quam verum ſit illud. *Vidi cuncta quæ fiunt ſub Sole: & ecce vniuerſa vanitas, & afflictio ſpiritus. Si omnia ſub Sole vanitas, ergò ſolum ſuper Solem veritas*, ait S. Paulinus, epiſt. 4. Superiori mundo mens illa fiat neceſſe eſt, quæ ſectatur veritatem, cupitque eam apprehendere & tenere, vt ſit ſine afflictione ſpiritus. Hanc vanitatem rerum omnium vidit Salomon, ſed ſatis ſero, ideoque inclamare cogitur: *Magnificaui opera mea, ædificaui mihi domos, plantaui hortos & pomaria, exſtruxi mihi piſcinas aquarum, &c.* Quid deinde? Audi quod ſequitur: *Cumque me convertiſſem ad vniuerſa opera quæ fecerant manus meæ, & ad labores in quibus fruſtra ſudaueram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere ſub Sole.*

*Eccl. 1.*

*Eccl. 2.*

*Exempla Regum vanitatẽ omnium agnoſcentium.*

Hoc & Reges & Principes agnoſcere coguntur in fine. Quapropter Philippus II. Rex Hiſpaniarum, ſic filium ſuum Philippum moriens alloquebatur: *Deus tibi magnam gratiam, fili, fecerit, ſi te ad eum gloriæ apicem, in quo me vidi, evexerit, & te ſicut me, proſperarit. Ex animo autem te obteſtor, vt cum id aſſecutus fueris, huius lecti, in quo me vides, & vbi omnis huius mundi gloria ſiſtit, memineris.* Ioannes quoque Aragonum Rex, pius ſenex, fluxam rerum humanarum conditionem, & Principatuum vanitatem iam penè in extremis poſitus his verbis deplorabat: *O vanas hominum cogitationes! O miſeros, qui ad Principatus adſpirant, diuitiasque & honores affectant! O felicem pauperum conditionem, & ſecuram vitam eorum, qui viuunt labore manuum ſuarum! Nam mihi miſero quid regnum, quid honores, quid obſequia multorum contulerunt? Quid? Labores magnos, & multa corporis animæque pericula: nam ætate iam longa non potui mihi dies aliquot videre bonos. O me miſerum, qui tam ſero fallacem cognoſco mundum! Vitam egiſſe longè ſecuriorem ſi non Rex, ſed agricultor fuiſſem.* Hæc ipſe teſte Lucio Marinæo, lib. 8. de reb. Hiſpan.

Profectò non abſimiliter illuſtris noſter Baro, in morbo ſuo Cœli luce illuſtratus, agnouit gloriam ſæculi ad anguſtias redactam lectuli, agnouit meram rerum omnium mundi vanitatem. Quapropter non ſemel repetijt hæc vernaculè verba: *Fy, Fy, Fy du monde.* Ideoque ad Deum veritatis ſe convertens toto corde, cùm iam ad extrema vergeret, *adſpiciebat in auctorem fidei & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem.* Ideò adijciebat: *Miſericorde, miſericorde, miſericorde mon Dieu, Dieu de Verité, & d' Eternité!* Vidi quomodo hæc vita, etiam invita, ab ipſo fugam iniret, & tanquam tela à texente ſuccideretur, morbo intima depaſcente; ideò clamabat de mane vſque ad veſperam, quaſi pullus hirundinis, & meditabatur vt columba, ſuſcipiens in excelſum. Dicebatque cum Ezechia Rege: *Domine vim patior, reſponde pro me. Quid dicam, aut quid reſpondebit mihi, cùm ipſe fecerim? Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Certè, quicunque ei adfuerunt in extrema ægritudine, teſtantur miram tunc in eo fuiſſe lucem, mirum feruorem, mirum pietatis ſenſum, ad peccati deteſtationem, ad ſæculi contemptum, ad patientiæ robur, ad cordis ſui totius in Deum profuſionem: ita vt ædificationi fuerit, & exemplo nunquam intermorituro, omnibus lectulum eius cingentibus, tum Paſtoribus & Religioſis, tum domeſticis & ſubditis ſuis.

*Heb. 12.*

*Iſa. 38.*

Quapropter videbatur dicere cum Iob: *Conſolabitur me lectulus meus, & relevabor loquens mecum in ſtrato meo: Ego non parcam ori meo, loquar in tribulatione ſpiritus mei, confabulabor cum amaritudine animæ meæ.* In nullis rebus ſæculi ſolatium vitia reperire valens, in lectulo patientiæ ſecum & cum Deo loquebatur magna pietate, magna fiducia, magno ardore, magna animi amaritudine, arguens præteritam vanitatem. Tandem & de eo poſſumus vſurpare, quod de Iacob pronunciatur: *Finitis mandatis, quibus filios inſtruebat, collegit pedes, nos ſuper lectulum, & obiit, appoſitusque eſt ad populum ſuum.* Petiit veniam à ſuis ſubditis, diſertis & humilibus verbis: dedit benedictionem filijs & domeſticis: Collegit ſuper lectulum non tam corporis quam animæ pedes; hoc eſt affectus, ad exeundum his pedibus in Deum; & abijt, obijtque ingreſſus viam vniuerſæ carnis, vt aſſociaretur populo Dei electo. Ita piè confidimus.

*Iob. 1.*

*Gen. 49.*

Dicamus igitur (vt ad ſuum redeat oratio noſtra principium) ipſum pauco tempore ædificaſſe domum non manufactam æternam in cœlis, & nunquam diſſoluendam, qui multis egebat annis, vt domum ædificaret in terris lateritiam, & tandem caſuram. *Dic mihi*, inquit S. Chryſoſtomus hom. 7. de Pœnit. *Si quis tibi pronunciaret, poſt annum ipſam caſuram vrbem, num in caſura urbe ædificares? Nequaquam ergò in hoc ædificemus mundo. Cadet enim paulò poſt, & cuncta peribunt. Quid di o? adet? Ante ipſum caſum ipſi peribimus. Quid in arena ædificamus? Ædificemus ſupra petram: quantumcunque impetus fiet, inconcuſſa erit ædificatio.*

Hoc intellexit, ſibi faciendum in morbo ſuo, nec vltra cogitandum de lignis, luto, lapidibus domus corruptibilis; ſed de domo incorruptibili,

& lapi-

& lapidibus æternum manſuris. Ideò toto anniſu illos collegit, agglutinauit, diſpoſuit, & coronidem fœlicem vitæ ſuæ; ac ædificationi ex Deo, appoſuit. At quinam ſunt lapides iſti?

Bonus lapis, & quidem fundamentalis, Fides viua in Ieſum Chriſtum, & Fiducia perfecta in meri-
1. Cor. 3. tis eius. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus*, inquit Apoſtolus. O quot actus fidei ferventiſſimos, quotque actus fiduciæ in Mediatorem Iesum, agglutinauit, & in corde ſuo diſpoſuit, vt finalis ſui ædificij iaceret fundamenta felicia!

Bonus & pretioſus lapis Humilitas cum Patientia, quæ inter preſſuras & tunſiones ægritudinis expolitur, vt poſſit primarium etiam locum ſortiri in hoc ſacro ædificio. Certè patientia magna, cum humili agnitione ſui, magnoperè eluxit inter dolores, quos perpeſſus eſt, acerrimos.

Boni lapides, Reſignatio animæ & corporis inter diuinas manus. Oblatio ſui integra, Actus contritionis, Actus charitatis & ferventis amoris. O quã frequentes fuêre in illo actus ſimiles! Profectò è fundo animæ ſuæ collegit hos omnes lapides, vt ædificium ſuum conſummaret. Nihil tamen poterat, niſi ædificante ſecum Deo, ſine quo in vanum laborant qui ædificant. Ædificabat ergò Ieſus cum eo, ædificabat Maria, ædificabat S. Ioſeph, quibus ſingulariter eius anima erat devota, ædificabant & Angeli cuſtodes totius populi, quos invocabat pientiſſimè. Denique ipſe vna manu ædificabat, altera pugnabat, vt olim Iſraëlitæ. Tenens enim crucem in manu, dicebat: *Hic eſt, qui tibi ô Satan, conteret caput, & dimicabit pro me in finem vſque.* In bona igitur voluntate tua, Domine, fac vt eius ædificium ſit perfectum, vt in æternum oblationes & holocauſta poſſis ab eo acceptare, &c.

Lect. 14. *Si multis annis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis.*
Eccleſiaſtes c. 11.

*In funere R. D. Iacobi Boileave. Decani Chriſtianitatis in Concilio Cimaceſi, qui è pro ſuo gerebat Elogio, fugit hora. Eccleſ. c. 1*

IPſa experientia ſatis docet, quam breves ſint dies hominis, quamque incerti & ærumnis pleni. Hoc etiam ipſum frequenter nobis inculcant Sacræ litteræ, vt nos muneris noſtri commonefaciant, ne confidamus annis noſtris, aut robori, aut floridæ ætati. Hæc pro tempore quidem breui ſeſe oſtentare poteſt, mox autem effloreſcit, aut conteritur, aut fugit. Imò ſæpè in medio curſu nos deſerit vita, vel invita. Sed etſi longi eſſent dies & certi, etiamſi centum annos ſibi poſſet homo polliceri, nunquid *in his labor & dolor continuus, & afflictio ſpiritus*; Dies diei novum eructat laborem, nouaſq; curas: & nox nocti indicat nouam anxietatem & inquietudinem. Hoc probè norunt homines huic ſæculo diditi, *Molam Sampſonis* velut in circuitu trahentes anxio & cæco greſſu. Adde, quod centum anni etiam vt pauci dies exiſtimandi ſint: *Mille an-*
Pſal. 89. *ni, tanquam dies heſterna quæ præteriit, & tanquam cuſtodia in nocte.* Immò verò tanquam vna hora, tanquam vnum momentum, tanquam vnum nunc: denique tanquam nihilum: *Parce mihi Domine, ni-* Iob. 7.
*hil enim dies mei*, dicebat Iob. *Subſtantia mea*, ſiue Pſal. 38.
ſubſiſtentia mea & duratio, *tanquam nihilum ante te; veruntamen vniuerſa vanitas omnis homo viuens*, ait Rex David, *in imagine pertranſit homo, ſed & fruſtra conturbatur.*

Quapropter rectè monet Eccleſiaſtes: *Si mul-* Eccleſ. 11.
*tis annis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis, & dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita.* Quod eſt tempus illud tenebroſum, niſi tempus morbidæ ſenectutis, & tempus appropinquantis mortis? Hoc inſinuans idem Eccleſiaſtes ſequenti capite ait: *Memento creatoris tui in die-* Eccleſ. 12.
*bus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent.* Quinam illi? Explicat è veſtigio: *Antequam tenebreſcat Sol, & lumen, & Luna, & ſtellæ*; id eſt, intellectus, memoria, & potentiæ animæ, quæ ſunt velut aſtra lucida in ſuperiori hominis hemiſphærio, vel cœlo. Hæ autem potentiæ obſcurantur in ſenectute, & fine vitæ. Addit *Antequam reuertantur nubes poſt pluuiam, quando commovebuntur cuſtodes domus* &c. Hic inſinuat, quod tunc vaporum condenſatio caput obſcurabit, & in defluxiones continuas reſoluetur, illis ſibi invicem ſuccedentibus, ſicut nubes nubibus, aut pluuiæ pluuijs. Simul etiam crura, & tibiæ, & ſenſus, quæ ſunt velut ſuſtentacula & cuſtodes corporis, natabunt, & commouebuntur: facientque vt caput nutet etiam in illis qui erant antea robuſtiſſimi & fortiſſimi; ita vt videantur timere & formidare in via. Tunc quoque erunt *otioſæ molentes in minuto numero, & tenebreſcent videntes per foramina, & conſurgent ad vocem volucris, & obſurdeſcent omnes filiæ carminis.* Pauci ſcilicet dentes ſupererunt ad commolendum cibum: & oculi, qui per foramina quædam vident, caligabunt, & ipſi ad vocem galli, vel cuiuslibet volucris, mane mox excitabuntur; & aures, quæ lubenter audiebant carmina, ſiue cantus ſonoros, iam obſurdeſcent. *Oſtia claudent in platea in humilitate vocis molentis.* Oſtia clauduntur in platea, quando foramina meatuum, per quæ ſcilicet ſpiritus vitales ſenſitiui & motiui tranſire ſolent, obſtruuntur, vt non vltra ad organa & loca ſolita diffundantur. Per humilitatem autem vocis molentis quidam Hebræorum intelligunt murmur ſtomachi, cuius eſt officium molere & digerere. Hic in ſenibus murmurat, quaſi ſemper cibo gravetur, cùm non poſſit digerere quod iniicitur. Tunc quoque *florebit amygdalus, impinguabitur locuſta, diſſipabitur capparis.* Caput canum erit in ſenibus, quaſi flos albeſcens amygdali; & venter ac tibiæ humoribus diſtentæ, imitabuntur pinguedinem locuſtæ, quia pinguedo locuſtæ non eſt vera pinguedo, ſed phlegmaticus potiùs humor. Appetitus etiam perdetur,

in cibo,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

in cibo, quem ſignificat capparis. Rumpetur poſtremo *funiculus argenteus*, ſpina dorſi, quæ octodecim juncturis ſeu nodis conſtat, & Argentea vocatur, quia tam eos, quam medulla oſſis argenteo & albo colore eſt, quæ dum rumpitur, reſolvitur, aut laxatur, fit homo paralyticus, vel moritur, ut decent Medici. *Recurret vita aurea à* cranio, membrana tenuis, quæ cerebri eſt involucrum, & quaſi vitta illud cingit & continet, dicitur Aurea, quia pretioſiſſima & quaſi rufa ut aurum. *Conteretur hydria ſuper fontem*, intellige veſicam urinæ, quia inſtar hydriæ recipit humores procedentes ab hepate, quaſi à fonte humorum omnium. Conteritur ergo hydria ſuper fontem, quando veſica rumpitur, nec ultra accipit humores ab hepate, ut ſolet. *Confringetur rota ſuper ciſternam.* Per hanc confractionem rotæ, intelligi poteſt meatus impuræ ſuperfluitatis. Rota enim eſt inſtrumentum, per quod educitur de ciſterna aqua, ſæpe impura & lutulenta: ita venter eſt quaſi ciſterna immunda ſæpe purganda. Rota autem, per quam fit hæc purgatio, meatus ipſe & ſeceſſus accipitur. Poſt hæc omnia homo vadit in domum æternitatis ſuæ, hoc eſt, in domum ſepulchri (quæ *Domus in æternum* vocatur more loquendi Scripturæ ſacræ, quia in finem ſæculi duratura) vel certe in domum futuræ vitæ, quæ æternum eſt duratura. Ideo ſubiungit Eccleſiaſtes: *Revertatur pulvis in terram, unde erat, & ſpiritus ad Deum, qui dedit illum.* Interim, dum hæc omnia fiunt, circuire ſolent amici illius qui defunctus eſt, in platea plangentes, dicentes: Eheu, mortuus eſt vir bonus, vir pius, vir inclytus: Mortuus eſt pater meus, mater mea, frater meus, ſoror mea, lachrymis & planctu digna, &c. Hoc ergo vult dicere Eccleſiaſtes, dum homine in domum æternitatis eunte, dicit: *Circuibunt in platea plangentes.*

*Exempla tenebroſi temporis recordantium.*

An non igitur eſt tempus iſtud tenebroſum cuius oportet crebro & tempeſtive meminiſſe? Huius meminerit Iob: *Paucitas dierum meorum finietur brevi, Dimitte me, ut plangam dolorem meum, antequam vadam ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine.* Meminerat & Rex David. *Peregrinus ſum, ſicut omnes Patres mei, remitte mihi ut refrigerer prius quam abeam, & amplius non ero.* Meminerunt & multi poſtmodum alij, de quibus hiſtoriæ Eccleſiaſticæ mentionem faciunt. Sic S. Ioannes Eleëmoſynarius fertur juſſiſſe ſibi fabricari ſepulchrum diu ante mortem, nec tamen voluiſſe ut illico perfectum foret; ſed ut mortis memoriam familiarem haberet, quotidie iubebat ſibi dici: *Sepulchrum tuum needum eſt perfectum.* Sic Carolus V. quocunque procederet, voluit cum regijs ſuis periſtromatis & mobilibus deferri capulum funebre, quo condendus erat mox à morte, hac ratione cordi ſuo mortis memoriam mature recondens.

*Iob. 10.*
*Pſ. 38.*

*Tenebroſum tempus iugi memoriæ inſigendũ*

Certe, tenebroſum illud tempus iugiter memoriæ figēdum eſt, in quo anima in tenebris agit, horreſcit, anguſtiatur, incerta quam initura ſit viam, quodque nocte illa mortis tenebroſa hoſpitiũ habitura, an mox in ſuperna lucis regione, an in horrida inferorum caligine. Quam multi etenim à tenebris interioribus animi, & exterioribus corporis in morte, ad æternas devolvuntur tenebras: Sed nec ſine timore eſſe debet, quod ad expiatorias, ad tempus flammas & tenebras multi pertingant, cum & ibi graviſſimus ſit luctus, graviſſimaq; pœna, licet tandem finienda. Quid tibi videtur, ô homo, de illa hora, in qua corpus ad corruptionem ſenſim diſponitur, oculi caligant, ſenſus omnes hebeſcunt, frigidus humor mortis membra ſingula invadit, cor præ timore palpitans redditur? Quid tibi videtur de illa hora, in qua vitæ peractæ ſeries caliginoſa in mentem reducitur, dum & memoriæ occurrunt peccata præterita, & ſupplicia promerita: An hæc ſine languore & angore fiunt: An non tempus tenebroſum iſtud, cuius ſæpe oportet meminiſſe: Meminerit ergo unusquisque, & *ambulet dum dies eſt*, ne cadat in obſcurum, & *ne nox eum comprehendat.* Meminerit illius noctis & tenebroſi temporis, ut dum tempus eſt, ſibi comparet arma lucis. Teneat iugiter candelam ſuam accenſam in manibus, & ſic advigilet, ut nunquam permittat eam extingui, dicat cum Iob: *Dimitte me, ut plangam dolorem meum, antequam vadam ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine, terrã miſeriæ & tenebrarum, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.*

*Ioan. 11.*
*Iob. 10.*

Si ea de re monemus omnes, maxime & id cordi imprimere debemus nos Sacerdotes. Nos enim filij ſumus lucis, & quidem primogeniti. Nos ſumus non ſolum milites, ſed & Duces, qui contra tenebras & Principes tenebrarum dimicare debemus armis lucis. Nos ſumus velut milites Gedeonis, in nocte pugnantes tubis & facibus, ſive lychnis accenſis ſicque in fugam hoſtem vertentes. Ea propter nobis mortis tenebroſæ memoria quotidie renovatur: ſive per pullam & lugubrem veſtem, quam indui jubemur, tanquam Clero & Sacerdotio convenientem ſive per officium divinum quod menſtrue pro defunctis peragimus, pro quibus & quotidie ſingulas horas concludendo oramus: *Fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace.*

Reverendus Dominus N. Chriſtianitatis Decanus, cuius hodie exequias celebramus, cum ſeptuaginta annos in hac mortali vita exegerit, ſatis vidit quicquid amplius ſperare poſſet vita, nonniſi laborem fore & dolorem. Ipſum quoque non infrequenter memorem fuiſſe tenebroſi temporis, in quo præterita arguuntur vanitatis, vel ex eius Inſigniis, quæ hodie in funere deferuntur, ſatis colligere licet. Gerit enim in ſuprema parte Clepſydram, cum inſcriptione: FVGIT HORA. In inferiori autem parte Cyphum habet aquæ plenum, iuxta currentem rivulum, qui & correſpondet

cius cognomine BOILE AVE. Quid Clepſydra deſignat per minutas ſeſe finiens arenulas, deciduo ſemper curſu ad terminum uſque ſeſe mutuo protrudentes, niſi vitam hanc morientem continuo, per annos, dies, horas, momenta decurrentem uſque in finem ſuum, ſine recurſu? Fugit ergo hora irrevocabilis, & cito finitur vitæ noſtræ clepſydra. Atque ita idem eſt dicere: *Fugit hora*, ac ſi cum Iob dicas: *Paucitas dierum meorum finietur brevi.* Aut Ibid. cum Paulo: *Tempus breve eſt. Reliquum eſt, ut qui* 1. Cor. 10. *utuntur hoc mundo, ſint tanquam non utentes, præterit enim figura huius mundi.* Quomodo præterit? Tanquam arena per vitrum pellucidum & tranſparens minutatim decidens, ſed mox finem inveniens. Huius ergo brevitatis vitæ noſtræ merito meminerat: quoties clepſydram ſuis in ſtemmatibus primarium locum tenentem conſiderabat.

Ulterius, Cyphus aquæ iuxta fluentem rivulum ſitus, quid aliud rurſus ſignificabat, quam vitam 2. Reg 14. hanc noſtram, aquæ inſtar ſemper fluentem? Quid aliud rememorabat, quam illud: *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur ſuper terram, quæ non revertuntur?* Quid per aquas, etiam ſacris in litteris deſignatur, niſi afflictiones huius vitæ ſibi Eccleſ. mutuo ſuccedentes? *Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas, & poſt multa tempora invenies illum*, dicebat Eccleſiaſtes: Hoc eſt, pauperibus, qui per aquas afflictionis tranſeunt, divide & communica panem tuum: & inſtar cymbæ fœliciter per aquas ad portum pertingentis illum perferent, ita ut non pereat, ſed futuro tibi ſæculo reſervetur.

Poſſunt & per aquas intelligi aquæ gratiæ, quibus Pſ. 22. anima reficitur & refrigeratur: *Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit.* Quid eſt igitur vitrum, ſive cyphum, gerere aqua ſalubri plenum, niſi dicere cum Pſalte: *Remitte mi-* Pſ. 38. *hi, ut refrigerer priusquam abeam, & amplius non ero?* Et rurſus cum eodem canere: *Tranſivimus per i-* Pſal. 65. *gnem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium?*

Concludamus ergo, & dicamus, quod defuncti huius noſtri effluxerit tandem Clepſydra, quia numerus menſium eius apud Deum erat computatus: *Finitus eſt pulvis, conſummatus eſt miſer fugit* Iſa. 16. *hora eius*. Dicamus, quod & ipſe de afflictionum torrente biberit in hac via mortali, & maxime in morbo ſuo, non parum amore & acerbo. Sed nunquid poteſt etiam nunc canere: *Tranſivi per ignem & aquam, & eduxiſti me in refrigerium*? Refrigerium accepit, antequam hac è vita diſcederet, de aquis ſalutaribus divinorum Sacramentorum, etiam præmiſſa generali confeſſione peccatorum: ut lavaret in aquis, de fonte Salvatoris profluentibus, quicquid antea fuerat immundum, & quicquid terrenæ labis in hac via pulverulenta & lutoſa fuerat contractum. Reſtat ergo nunc, ut Deum Opt. Max. humiliter deprecemur, ut admittat eum ad vitæ fontes aquarum, ad torrentem lætitiæ & voluptatis, ſibi unusquisque cypho ſuo ampliſſimo, *menſuram confertam, coagitatam, & ſupereffluentem* haurire Luc. 6. poteſt, pleno corde, plena mente, pleno toto homine, quando & ipſum gaudium non intrabit in gaudentes, ſed gaudentes intrabunt in gaudium. *Guttatim hic pœna bibitur.* inquit S. Bernardus, *aliquan-* Bern in feſto SS. omnium. *do ſumitur, per minutias tranſit ibi torras eſt lætitiæ, flumen gloriæ, flumen pacis. Flumen plane, non quod effluat, ſed quod affluat, non quod pertranſeat, ſed quod abundet, quia unda undam ſine intercapedine & interpolatione continuat.* Hæc Sanctus Bernardus.

Quod ſi forſan adhuc expiatorijs detineretur flammis, ob peccatorum reliquias penitus excoquendas, & omnem ſcoriam eliminandam, quia *ni-* Apoc. 21. *hil coinquinatum intrabit in regnum cælorum*: ſupplicemus ei ſacrificijs noſtris aquam ad refrigerium, depromamus eam de latere & fontibus Salvatoris, ut omnem quantocyus extinguat flammam piacularem, & ſic introducatur in locum æterni refrigerij, lucis & pacis, Amen.

OPV-